




Gillioli
Propugn.
Nat.
Inclinat.
8.
1
6









IOANNIS THOMÆ GILIOLI PERVSINI

OLIM IN PATRIO GYMNASIO

NVNC IN PATAVINA ACADEMIA

Philosophiæ ordinariæ Interpretis Primarij

DISPVTATIO,

DEMONSTRANS

PRIMVM MOVENS IMMOBILE,

Physice, & proprie non esse Naturam.

Ad Illustriss. & Reuerendiss.

IO. BAPTISTAM

ABBATEM COLVMNAM.

Patauij Typis Criuellarianis. Sup. Per. 1635.

Illustrissimo, & Reuerendiss.

IOANNI BAPTISTÆ ABBATI COLVMNAE

Domino Colendiss.

IO. THOMAS GILIOLVS P. F.



Hilosophicę disputationis fructũ, Illustriss. & Reuerendiss. D. breuiter, & docte expressit [a] Plato, dicens per eam contingere, vt vel inueniamus quod cupimus, vel vt minus putemus scire quod ignoramus. Ideo semper vtilis in Philosophia mos disputandi iudicatus est; cum vero duobus modis fieri possit, verbis nempe, & scriptis, illa prior disputatio tanquam nimis commota, concitata, & clamosa ab eodem [b] Platone, consentiente etiã Seneca [c] reiecta fuit. *Si disputantes*, inquit Plato *de aliquo contendant, ex candescunt, certantes simul, non autem quod*

a In Theæteto.

b In Gorgia.

c Epist. 38.

erat propositum perquirentes. Idem vitiũ Lactantius[d] etiam perstrinxit. *Contradicendi, inquit, studio insaniunt, dum sua, etiam falsa defendunt, aliena etiam vera subuertunt.* Posterior propterea disputandi ratio visa fuit accomodatior; ideo Diuus[e] Hieronimus ad libros prouocabat, *loquamur*, inquit *scriptis ad memoriam in posteros transmittendam, vt de nobis tacitus Lector iudicet.* Hoc disceptãdi genus inire mecum placuit Viro Præstantissimo Collegæ meo, quod sicuti mirum in modum me delectauit, ita ad respondendum per scripta, alias promptissimũ, excitauit. Discussio per rationes inita, teste eodem[f] Platone, periculum facit ingenij, & veritatis; Hæc nostra, quoad me spectat, tota veritatis defendendę gratia, non ingenij ostentandi suscepta est.

d lib. 7. cap. 7.

e Epist. ad Domnionem Apologetica.

f In Protagora.

Vellem, vt de me posset vere pronunciari, quod olim de se ipso[g] Paulus Aemilius dixit, videlicet eadem arte *me aciem instruxisse, et conuiuium paraße*: fortasse

g Plutarchus in vita Pauli.

dum disputo aciem instruere, sed dum veram philosophiam doceo, conuiuium mentibus legentium parare videri potero. Tibi non solum Philosophię studiosissimo, verum etiam Philosophorũ amantissimo, & meo in primis Mœcenati, hoc Opusculum omnino dicandũ erat, non enim ausum fuisset in lucem exire, nisi sub tua luce. Audire docentis vocem non es dedignatus, scripta excipere ne graueris. [b] Olim certantes ante pugnam canebant Marti, post pugnam victores Apollini. Mihi cum Marte nihil, erit quidem felix omẽ si tibi cecinero Doctissimo Apollini, mearum musarum (qualescunque illæ sint) Duci, & Moderatori. Platonem inquit [i] Seneca *philosophia non accepit nobilẽ, sed fecit*; ita hoc tenue munusculum, ex se ignobile, sub tuis auspicijs, qui Heroicæ nobilitati sapientiam coniungis, nobilitatum iri spero. Vale.

[b] Suidas.

[i] Epist. 44.



Ad

Ad Eruditum Lectorem.

a In Apoph.

Catoni a minori olim vitio data fuit taciturnitas; ipse respondere solitus, tum demum ab rumpã hoc meum silentium cum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio. *Præsentis disputationis occasio visa est mihi ea subministrare, quæ non sint inuoluenda silentio, agitur enim veræ, & sinceræ philosophiæ causa; Et si etiam hæc opportunitas me ad scribendum nõ impulisset, debueram post multorum annorum studium, non solum priuatim, & publice profiteri, verum etiam aliqua ex ijs, quæ viua voce docueram, scriptis commendare; hoc à me amicos, & beneuolos diu expectasse scio. Imitari fortasse par erat b Labeonem I.C. qui plurimum studijs operam dedit*, & totum annum ita diuiserat, vt sex mensibus cum studiosis esset, sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret. *Nec me ab incepto retrahere debet quod ætas ad senium iam inclinans laboribus videatur esse impar, nã sicuti ferunt c Deiotarum Regem extremę senectutis Virum vrbem condidisse, ita sperari potest maturæ, & iam fatiscentis ætatis hominem, conscribendis libris posse operam dare. Opus quod tibi propono Lector, paruum est; verum etiam ex linea, vt vulgo dicitur, iudicare artem licet; & scio d Artoxersem Memorem ex pomo censuisse pauperem posse ciuitatem magnam reddere. Est disceptatio: sed quod ad me spectat in scuto, non in gladio; ad defensionem, vt respondeam, non ad offensionem, vt obijciam. Excusa me si clara passim, & concessa hic probare conor, quia necessitate cogor. Et si qui neget: eius ingenium me trahit ad confirmandum ea, quæ scio cõmuniter a philosophis non reprobari. Lege attente, te volo sedulo arbitrari: Appello*

b l. 2. ff. de orig. Iuris.

c In Apoph.

d In Apoph.

prop-

propterea te verbis insignis[a] *Comici paulo tamen mutatis hoc, hic censebitur,* Plauti Pœnulo. a

Tu iurator esto.

Censor eris Lector, sed cum hac conditione, ut semel tantum me hac discutientem audias. Semel spectatum[f] satis, *inquit*[f] *Horatius. Scio me talia hic attulisse quæ pro soluendis difficultatibus sufficiunt; si noua emerserint, & quę noua indigeant consideratione, respondere non fugiam, sed spero, quę semel dicta semper dicenda.* f Epist. prima.

Interim tu Lector iudica, ex scientia, non ex affectu: dicam cum Tacito: sine ira, & studio, quorum causas procul habes. Placet mihi illud Aristotelis,[g] non sinimus dominari hominem sed rationem. *Nec mireris me attulisse sæpæ, præter Antiquos etiam recentiores, imo nouissimos, quia volui ab antiquis conciliare meis scriptis auctoritatem, & vt recentiores ostendant hanc fuisse semper perennem philosophiam, ob sui solidam veritatem ad nostra vsq; tempora conseruatam. Spero fore vt tibi etiam non placeat indicta causa illam lædi; Illos protuli auctores a quibus didici; & quorum volumina quottidie versando speraui veram philosophiam me consequuturum; In hac disputatione volui vt plurimum calcare veterum vestigia, nam scio sæpe desiderium nouitatis, esse matrem falsitatis: Volo Lector, vt non credas mihi, sed auctoribus adductis, atque peto vt non iudices nisi illis lectis, & intellectis.* g 5. Ethic. cap. 6.



PRÆ-

PRopositum meum in hac prima Sectione est iacere generalia quadā fundamenta: quibus postea vsurus sum in duabus sequētibus Sectionibus. Hoc faciam more Mathematico. Vere propositiones, quas firmare conor videtur probatione non indigere, nihilominus quia vel implicite, vel explicite negantur ab Excellentissimo Collega meo, ideo necessarium fuit expressis rationibus, & auctoritatibus ista theoremata, (alias per se manifesta,) communire: ex vsu, & applicatione, illorum necessitatem cognosces, Lector; Nec mihi vitio vertas quod sæpe Theologos, aliquando etiam Sanctos Patres adducam, quia in re physica primum fundamentum facio in Philosophis, ad vberiorem vero doctrinam alios etiam affero: verum vero consentit: & qui veritatē venatur nihil veri a se alienum putat; præcipue quando Theologi, & S. Patres loquuntur Physice, a Physico tūc eorum auctoritates, tanquā maxime ad rem facientes, afferri possunt. Profiteor, quod de se dixit Vlpianus I. C. veram non simulatam Philosophiā affectare; ideo illos consulo quos scio esse meliores veritatis magistros.

l. 1. ff. de Iustia & Iure.

CAPVT PRIMVM

Reiectis improprijs Naturæ significationibus, *De Natura proprie & stricte esse Disputandum.*



Ecessarium est ante omnia æquiuocationem huius nominis Natura e medio tollere, & multiplices eius significationes assignare. Optime enim dicit ARISTOTELES primo de Cęlo 110. *Multipliciter cum dicantur, etsi nihil refert ad rationem necesse est intellectum indeterminate se habere. Siquis eo quod multipliciter diuiditur tanquam indiuisibili vtatur*; quo textu admonemur omne æquiuocum, & multipliciter dictum esse accurate distinguendum. Et ALEXANDER lib. de Fato cap. 2. *Nullum inquit eorum, quæ multifariam dicuntur absq; propria diuisione notum est*. Sequutus hoc idem dogma ALBERTVS 5. Topic. tract. 2. cap. 2. *Multiplex inquit ex parte sermonis facit obscuritatem*. Accidit vero naturæ quod de forma dixit AVERROES 5. phys. com. 5. videlicet vt accipiatur large, & proprie. Natura multipliciter dicitur: THEMIST. 2. phys. t. 7. Simplicius 2. phys. c. 16. quē sequitur ALBER. 2. phys. Tract. 1. cap. 1. Aggressurus huius rei explicationem putaui non esse recedendum ab approbata doctrina BOETII in libello de duabus naturis & vna persona Christi. Assignat ibi tres potissimum naturæ acceptiones vt proposito nostro satis est. Primam latissimam minime propriam, alteram minus amplam, postremam strictam & propriam. Priore illo modo de omnibus rebus natura enunciatur, ita vt etiam accidentia complectatur, & definitur ibi à BOETIO *esse earum rerum naturam quæ cum sint, quoque modo intellectu capi possunt*. Amplissima hæc significatio insinuata fuit à D. AVGVST. lib.

de moribus Manichæor.cap. 2. *Natura inquit nihil est aliud quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse*, & sequens August. ita accepit GABRIEL in 2.dist. 37.q. vnica art. 2. S. THOM. in 1.dist. 17.q. 1.ar. 1. ad vltimum ita extendit nomen Naturæ vt velit sub eo comprehendi tam substantiam, quam accidens, imò etiam gratiam, quæ est supernaturalis qualitas, ibi ait posse subire nomen Naturæ latissime acceptæ. Ad formas etiam artificiales extendit hoc idem nomen ALEXANDER 5. Meta. in Com.t. 5. his verbis: *Quamobrem forma, quæ per artem efficitur, quia substantia est operum artificiosorũ Natura appellatur, atq; ita forma scamni natura est scamni.* Pro accidentali etiam propensione rerum naturalium accipi aliquando naturam obseruauit ex doctrina Linconiensis, non ignobilis Auctor Gabriel ZERBVS 5. Meta.q.4.art. 1. Ita interpretans vulgatam propositionem ARISTOTELIS 1. Meta. initio cap. 1. omnes homines natura scire desiderant, id est naturali propensione, & appetitu. Hactenus de latissima & improprijssima significatione, quæ nobis omnino ommittenda; ALTERA acceptio minus lata & impropria solas substantias complectitur dicente BOETIO loco citato: *Sin vero de solis substantijs Natura dicitur, quoniam substantiæ omnes aut corporeæ sunt, aut incorporeæ dabimus definitionem Naturæ substantias significãtis hoc modo, Natura est quod facere, vel quod pati potest.* Iuxta hanc significationem nomine Naturæ, etiam simplices substantiæ immateriales possunt appellari, ita legimus ARISTOTELEM fecisse 3.Meta.7.4.Meta. 23.& alibi, vt infra dicemus. Et quia Metaphysicis valde familiaris est hæc acceptio, ideo essentia, vt comparata cum supposito nominari solet Natura, ita S.THOM. 3 p.q.2.art.1.& in 3.dist.1.art. 2. De vnione verbi art.1.p.p.q.29.art.1.ad 4. Iauellus in epit.2. phys. Tract. 1.cap.2.& essentia Dei dicitur Natura ab Augustino 12.de Ciuit. cap. 2. Sed hæc omnia Metaphysicis, & Theologis relinquenda vt inter recentiores obseruauit doctissimus SVAREZ in Meta.disp. 15.sect.11.n.6.& ARISTOTELES in

5. Meta. t. 5. concessit quidem omnem substãtiam appellari posse Naturam, verum caute, & prudenter addidit hoc non esse proprie dictum, sed Metaphorice; sic loquitur Philosophus, & verba sunt valde obseruanda *Metaphorice vero omnino omnis substantia Natura propter hanc dicitur, quoniam & Natura est aliqua substantia:* Et AVERR. in dicto Com. 5. 5. Meta. obseruat latius à Metaphysico accipi hoc nomen, quam à Physico; ista pariter significatio reijcienda, quia loquimur, vt Physici, sed non est Metaphysici. TERTIA & vltima acceptio propria & stricta, propterea ad rem nostram conferens, ita describitur à BOETIO. *Quod si Naturæ nomen relictis incorporeis substantijs ad corporales vsq; contrahitur, vt corporeæ tantum substantiæ Naturam habere videantur, sicut* ARISTOTELES *cæteriq; eiusmodi multimodæ philosophiæ sectatores putant, definiemus eam, vt ij etiam qui Naturam non nisi in corporibus posuerunt,* & adducit ibidem definitionem Naturæ traditam ab ARISTOTELE 2. phys. 3. Habemus ex hac vltima acceptione strictissime accepta Naturam non esse nisi in corporibus, quod, vt melius explicemus, accipiamus doctrinam pulcherrimam Alex. 5. Meta. com. 9. circa finem. *Ex his igitur* inquit Aristoteles *quæ naturæ sunt dictæ, substãtia eorum, quæ motus principium in se ipsis habent per se prima est profecto Natura, proprieq; Natura dicitur* explicat Alexander *quibus docet id, quod in physico auditu dixerat Naturam proprie materialem formam intelligi, à qua motus principium composito ex materia, & forma suggeritur;* videmus Alexandrum Naturam proprie non appellare formam vel actum immaterialem, sed materialem, & ita intellexit definitionem 2. phys. 3. & 5. Meta. 5. in illis verbis, *ex dictis itaq; prima & quæ proprie dicitur natura est substantia eorum quæ in se ipsis vt ipsa sunt motus principium habent,* hęc verba explicans Alex. dicit hoc principium esse formam materialem. D. THOM. 1. 2. q. 10. art. 1. in corpore significans hanc eandem doctrinam sic loquitur, *Natura dicitur multipliciter quandoq; enim dicitur principium in-*

trinsecum in rebus mobilibus & talis natura est vel materia, vel forma materialis, vt patet 2.phys. Hactenus habemus significatum proprium Naturæ; & hoc valde obseruandum pro dicendis; Ad ampliorem doctrinam iuuat animaduertere ea, quæ in hoc proposito scribit PHILOPONVS 2.Phys. in explicatione t.1. *Natura, inquit,* est *quædam vita, siue vis, quæ per corpora diffunditur eorum formatrix, & gubernatrix principium motus, & quietis in eo, cui inest primo per se, & non secundum accidens;* dum dicit Naturam esse vim formatricem corporum aperte ponit esse formam materialem. Idem Philoponus in expositione t. 4.lib. 2.phys. sic ait: *quod autem Natura sit in subiecto ex definitione ostendit, nam ipsa est principium motus & quietis in eo, cui primo, & per se inest, Si ergo ipsa in quodam, cuius motus, quietisque initium esse dicitur, constat sane ipsam in subiecto esse.* Et prosequens hanc explicationem aperte dicit esse in subiecto per modum formæ informantis, sic scribens, *verum non quemadmodum accidentia dicuntur esse in subiecto, sed vt forma in materia, quæ complet & perficit vnam substantiam cum subiecto;* hoc vero proprie non conuenit, nisi formæ informanti, argumento eorum quæ annotari solent in t.7. 2. de Anim. & t. 15. 8. Meta. Non distat ab hac eadem opinione GALENVS 6. de vulgarib. Comm. 5. expos. t. 1. dum dicit *hoc loco per nomen Naturæ vim quandam intelligere conuenit in his ipsis corporibus, quæ ab ea reguntur, inhabitantem.*

Addo vltimo loco auctoritatem celeberrimi Platonici Cardinalis BESSARIONIS in lib. de Natura & Arte cap. 3. circa finem. *Natura est quod in rebus ipsis innatum hæret;* obseruo illud verbum *hæret*, quod significat inexistentiam, qualis est formæ vere informantis. ALBERTVS Mag. 2. Eth. tract. 2. cap. 2. sic enunciat de Natura. *Natura, & virtus duo in se habent de necessitate; scilicet quod vtrumq; eorum forma est, & vtrumq; principium agendi; & in quantum forma est, ad subiectum habet operationem, & sine subiecto esse non habet,* hoc nemo ignorat

rat esse proprium formæ informantis, de qua legimus apud AVERROEM 4. Phy. 17. *Vnum enim eorum quæ ponit naturalis est, quod forma non separatur per se, & quod separatio eius à subiecto est corruptio*. Concludamus ex dictis Naturam proprie dictam esse formam materialem informantẽ, de quo plura infra.

CAPVT SECVNDVM.

Recte explicari naturam proprie dictam per hoc, quod sit principium Intrinsecum.

NIhil magis obseruarunt Peripatetici, quam quod Natura sit intrinsecum principium motus, & quietis in eo, cui inest. Acceperunt hoc ab ARISTOTELE in locis vulgatis præcipue 2. phys. t. 3. 5. Meta. t. 5. 1. Rhet. cap. 10. Ad hoc euidenter confirmandum adducam auctoritates eorum qui ab Aristotele didicerunt, & Aristotelem recte intellexerunt. Incipiam autem ab antiquioribus, vt perueniam ad recentiores, & philosophorum concordiam in hoc dogmate euidentissime manifestem. ALEX. 12. Meta. expos. t. 13. comm. 7 sic interpretatur Aristotelem dicentem in illo textu *Naturam esse principium in ipso; ars est principium, quod in efficiente inest, non in ipso quod efficitur, Natura vero principium, quod in eo, quod fit habetur*. Eundem locum pertractans S. THOMAS 12. Meth. lect. 3 *Natura, inquit, est principium actionis & motus in eo, in quo est* Clarius idem S. THOM. 9. Meth. lect. 7. *Natura non est principium motus in alio, sed in eo, in quo est, in quantum huiusmodi*. Habemus t. 84. lib. 2. phys. in quo Aristoteles ait, *ea moueri Natura quæ ab aliquo in se ipsis principio continue mota perueniunt in aliquem finem*, hunc textum declarans Simpl. dicit, *quæ Natura sunt ab aliquo principio in ipsis existente perueniunt ad aliquem finem*. Multo clarius idem Simplic. 2. phys. com. 2. expos. t. 1.

Natu-

Naturalia habent intrinsecus causam in seipsis motus & status non extrinsecus quemadmodum artificialia, & in text. 86. lib. 2. phys. omnes Peripatetici grauiores conueniunt, dum enim dicit ARISTOTELES *Naturam esse similem arti operanti in eodem subiecto in quo est*. Simplicius sic exponit *in his quæ fiunt natura per se est causa intrinseca motus, nam quatenus Natura consistunt eis inest principium motus*. THEMISTIVS ibidem, *ars extra opus est, natura intra*. AVERROES ibidem com. 86. *ars agit extra, natura intra* S. THOMAS in exposit. eiusdem textus 86. videlicet in 2. phys. lect. 14. *in nullo alio* inquit *Natura ab arte videtur differre nisi quia natura est principium intrinsecum, & ars est principium extrinsecum*; & in 5. phys. lect. 10. sic ait idē S. THOM. *Naturale est cuius principium est intra*. Idem scripsit 7. Meta. lect. 6. *si est principium motus in eo, in quo est, sic est natura*. AVERROES præter loca adducta legendus est in 2. phys. Com. 3. *Naturalia sunt illa quæ non mouentur ex extrinseco*. 2. de Cœlo com. 91. *Natura est causa existens in re quiescente, non in extrinseco*, & 3. de Cœlo com. 28. *ea quę mouentur per naturam sunt quorum principium motus in se existens*. ARISTOTELES in 9. Meta. t. 13. distinguit potentiam à natura, quia potentia mouet etiam extrinsecus. Natura vero mouet intrinsecus: quem locum tractans ALEX. Alensis celebris expositor Meta. ARISTOTELIS, sic ait. *Natura est quasi quædam species potentiæ*, & paulo infra. *Natura aspicit motum respectu eiusdem in quantum idem* est. In 6. Meta. in 1. textū; sic ait Aristoteles, *Naturalis est circa quoddam genus entis scientia; etenim circa talem substantiam, in qua principium est motus, & status, qui in ea est*. exponens S. THOM. hunc locum lect. 1. *principium*, inquit, *motus rerum naturalium est in ipsis rebus naturalibus*. Non est omittendus pulcherrimus locus THEMISTII 8. phys. t. 27. Considerat ibi Auctor hic grauissimus animalia quando exercent aliquem motum contra inclinationem suorum corporum, vt quando saltant, & quærit an hic motus in illis sit natura-

turalis: Respondet *animalia tunc non moueri contra naturam, quia eius quoq; motus principium intra se obtinent*; ideo iudicat motũ esse naturalem quando est à principio intrinseco. AVERROES quoq; in paraphrasi libelli de sensu cap. 3. *Artifex est extra rem, Natura autem est intra, per hoc igitur differt ars à natura*; & in 2. Meta. Comm. 16. *Natura, inquit, vniuersaliter est principium transmutationis in rebus transmutabilibus*. ALBER. etiam 2. Phys. tract. 1. cap. 3. idem plane docet, *principium inquit quod est Natura differt ab artificialibus, & violentis in hoc quod ipsum est intra &c.* Denotat ibi Naturam esse principium intrinsecum. SCOTVS pariter in 2. dist. 18. q. vnica hoc idem docet: & ad recentiores descendendo. ZIMARA 2. phys. contrad. 2. & BONAMICVS grauis scriptor, & eruditus sic dicit in 3. de motu cap. 1. *Natura ita est principium & causa, vt non modo sit officij principium, sed vt compleat rem, & sit causa quod sit, eiq; sit internum, quando est principium in ipso prout ipsum est*. Nolo hic ommittere auctoritatem Diui Bonauenturæ grauissimi Philosophi, & Theologi, qui in 2. dist. 18. art. 1. q. 2. ostendit eandem conditionem, necessariam naturæ, *alio inquit, modo dicitur Natura proprie vis insita rebus secundum quam res naturales peragunt cursus suos*. Ad maiorem fidem & auctoritatem afferam duo testimonia Sanctorum Patrum; Damascenus in sua phys. cap. 8. de Natura loquens sic scribit *Natura est rebus omnibus naturalibus à summo illo rerum architecto insita aptitudo & vis minime aduentitia &c.*

DIVVS AVG. de spiritu & Anima cap. 42. *Natura est quadam vis, & potentia diuinitus rebus creatis insita &c.* Sic ergo credo sufficienter fuisse probatum Naturam esse principium intrinsecum.

CAPVT TERTIVM.

Quæritur hic, quid intelligant Philosophi quando dicunt Naturam esse principium intrinsecum.

STatuo hanc conclusionem multis testimonijs probandam apud philosophos principium intrinsecum esse id quod dat esse, constituit essentialiter, & vere informat, quod vero assistit, quomodocunq; vnitum, semper appellari extrinsecum. Accedo nunc ad auctoritates quibus hoc manifeste probari potest; incipiamus primo ab Antiquioribus. SIMPLIC. in 2. Phys. expos. t. 12. comm. suo 8. explicat, prius quæ forma non sit Natura sic dicens: *equidem secundum formam solam, quæ à formatione dumtaxat dicitur superficiei figuram, colorem & magnitudinem assignamus*; his verbis significat formam informantem accidentalem quam reijcit à significato Naturæ, & statim ponit formam substantialem, quam vult esse Naturam & dicit: *sed secundum rationem illa tradimus, quæ est secundum vnum formandi typum suæ definitionis*; & hic aperte significat formam substantialem informantem; cui tribuit vnum formandi typum, sed paulo infra clarius hoc explicat dicens; *& per hoc etiā Naturam formam esse ostendere possumus; nam si Natura est essentia, vniuscuiusq; cuius est Natura, & essentia vniuscuiusq; est forma, quæ dicitur esse secundum rationem; igitur Natura erit forma.* Doctrina ergo Simplicij est Naturam esse essentiam rei, at forma, quæ complet essentiam est informans argum. t. 37. lib. 2. de Ani. vt melius infra dicemus. Venio ad PHILOPONVM vt supra etiam notaui in 2. phys. explicatione t. 1. vocat Naturam *vitam, seu vim per corpora diffusam, eorum formatricem.* ALBERTVS Mag. 2. de Anima tract. 1. c. 1. *Alterum inquit in eo-*

dem

dem genere substantiæ acceptum est forma, & species secundum quam dicitur formata res Naturæ, hoc aliquid, eo quod formando & specificando dat esse, & rationem definitiuam. Certum est hic loqui Albertum de forma informante qua dicit constitui rem Naturæ & specificari, ita vt sit hoc aliquid: & expressius in 8. Meta. tract. 1. cap. 3. *Accipitur forma duobus modis vno quidem modo prout ipsa Natura est, & actus dans esse, & substantiam ei, cuius est Natura, & sic prædicatur de ipso, ideo quod ipsa hoc modo considerata totum est esse ipsius*. Hic videmus formam, quæ est Natura esse actum dantem esse, imò totum esse eius cuius est Natura; hæc autem est forma informans, quæ propterea appellari solet quidditas, & ratio quod quid erat esse. De hac eadem forma quatenus est Natura locutus est ARISTOTELES 2. phys. t. 12. illis verbis *alio modo forma & species, quæ secundum rationem* explicans ibi S. THOM. sic interpretatur *alio modo dicitur Natura forma & species, quæ est secundum rationem, idest, ex qua ratio rei constituitur* & apparet manifeste in exemplis illius text. 12. ossis enim, & carnis Natura dicitur forma secundum rationem idest *secundum quam sumitur ratio definitiua*, vt ait ibi S. THOM. Credo deduci hoc idem posse ex t. 14. lib. 2. phys. vbi ARISTOTELES ait Generationem dici Naturam, quia est via ad Naturam & denominatur à termino ad quem, vt in 5. phys. 48. de omni motu enunciat ARISTOTELES. Ex his constituamus argumentum, Terminus ad quem generationis est Natura, & propterea generatio dicitur Natura citato t. 14. forma informans non autem assistens est terminus generationis, ergo forma informans non autem assistens est Natura. Minor probatur ex t. 27. lib. 7. Meta. iuncto præcipue Com. ibi ALEX. super textum illum; determinat ibi ARISTOTELES generari compositum, formam vero non fieri proprie sed poni in alio, vt ait ibi ALEX. forma vero quæ ponitur in alio, & facit veram compositionem est forma informans, quæ per generationem educitur de potentia materiæ, vt ait AVERROES

ab omnibus approbatus 8.Meta.Com.15. Ad principale propositum melius probandum adduco eundem AVER. 9.Meta. Com.13. *Natura inquit non est principium in alio, sed in essentia rei, secūdum quod est essentia illius rei,* & videtur quodammodo accepisse à SIMPLICIO, quem supra citaui ex 2.phys. expos. t.12.comm.8. *Natura, inquit, est essentia vniuscuiusq; cuius est Natura,* vt propterea optime dixerit PICCOLOMINEVS in expos. t.3.lib.2.phys. Naturam duo principaliter requirere ad hoc vt sit vera Natura *primum vt sit eßentia rei, alterum, vt sit principium internum operationum rei naturalis, in qua est*; & in hoc oportet animaduertere id quod obseruarunt eruditi Scholastici recentiores, FASOLVS inquā in 1.par.q.12.ar.4. Dubitatione 4. Naturam esse primum principiū suę operationis, & distincti motus in se; omne enim naturale debet distingui à sua operatione, & debet habere essentiam, quæ in ipso supposito in quo est veluti natura, causet motum & operationem distinctā ab ipsamet essentia, & à supposito, in quo recipitur hic motus; quod melius infra examinandum.

BOETIVS in libello de duabus naturis & vna persona Christi sic definiuit Naturam. *Natura est vnamquamq; rem informans specifica differentia*, quæ quamuis sit latior acceptio Naturæ, quam ea quæ proposito nostro confert, tamen indicat Naturam habere informationem; ZIMARA in 8. phys. contradict. 8. in vltimis verbis dicit *secundum tenentes Animam Cæli dare esse, sequitur illam vere esse Naturam* hic videtis iudicium huius auctoris formam dantem esse proprie, & vere esse Naturam.

SONCINAS 12. Meta. q. 36. dicit Naturam esse principium intrinsecum, & vniri debere per modum formæ, quem locum paulo infra ponderabimus latius in hac sectione 1. cap. 9. Accedat vltimo tres recentiores vere celebres, & valde eruditi & illorum iudicium audiamus FRANCISCVS Vicomercatus in 2. phys. in expos. t. partim 11. partim 12. ait acci-

pi quan-

pi quando forma dicitur Natura, *formam definientem seu, vt aiunt, essentialem, hoc enim significant illa verba quæ vt ratio dicitur, seu quæ ad rationem, siue ad definitionem spectat*. PENDASIVS in textura phys. in 2. phys. par. 8. *ei, inquit, qui Naturam intime intueri studet tria sunt obseruanda, vt principium internum eligat, ita, inquam, internum, vt insit rei, qua talis est, quod est ac si dictum sit, vt eam constituat, sitq; ipsi causa quare & sit, & dicatur talis &c.* hic videtis formam intrinsece constituentem, & inexistentem rei formatæ. Tandem ZABARELLA, cuius iudicium in re philosophica maxime suspiciẽdum credo, apertissimis verbis hoc fatetur in lib. de Natura cap. vlt. *fatemur enim nomen Naturæ non complecti nisi formas naturales materiam informantes, & ipsa corpora naturalia constituentes*; & de Natura cœli cap. 11. *quod Anima animalis mortalis dicatur eius Natura, id fit quia est forma informans materiam & dans esse animali, at Anima cęli cum non det esse Cœlo, illius natura appellari non potest*. Constat ergo ex dictis Naturam esse quid internum per modum veræ essentiæ & formæ informantis.

CAPVT QVARTVM.

Naturam ab Aristotele fuisse definitam per actionem immanentem, nec potuisse recte definiri per actionem transeuntem.

ACcipiendum est ante omnia partim ex dictis, partim ex ipsa rei Natura, & euidentia eorum, quæ apparent, in Natura tria potissimum esse. Primum est esse essentiam rei naturalis, secundo esse principium internum motus in eo, in quo est, & ista vocatur actio immanens, quia non transit extra subiectum, in quo est ipsum agens, & hęc patent ex dictis. Tertium quod nunc addo est Naturam posse agere extra id, in quo est

atq; ita exercere actionem transeuntem, vt quando homo vi suæ formæ, quæ est vera Natura generat filium, atq; ita agit in aliquid extrinsecum sibi; hoc aperte conceditur ab ARISTOTELE 2.phys.t.13.3.phys.17.1.de partibus cap.1.2.de An. 34.& multis alijs in locis. & S.THOM. in 1.2.q.6.art.5.ad 2. huius meminit dum vocat naturale, quod est à Natura sicut à principio actiuo, afferens exemplum calefactionis sicut inquit calefacere est naturale igni; de hoc etiam extat pulcherrima doctrina ALEXANDRI in 1.Meta.Com.69.vbi docet, quæ *Natura consistunt aliquid per eandem Naturam sibi insitam posse operari.* AVERROES etiam tribuit efficienti nomen Naturæ, vt patet disp.11. in solutione 1.dub. Cum ergo natura possit habere hanc operationem transeuntem, reddenda est ratio, quare ARISTOTELES definiendo Naturam 2.phys. 3.& 5. Meta.5.non fecerit mentionem huius actionis transeuntis, sed solum immanentis, & respondendum est vna cum duobus recentioribus grauissimis philosophis videlicet cum Zabarella, & cum Piccolomineo, quia in definitione constituenda debemus respicere propria, & quæ conueniunt secundum quod ipsum, modo agere in exteriorem materiam siue actione transeunte non conuenit Naturæ secundum quod ipsa est, nec proprie; agere vero in id, in quo ipsa est per se conuenit Naturæ proprie, & secundum quod ipsa est. PICCOLOMINEVS in expos.t.3.2.phys.sic scriptũ reliquit & egregie; *Dico Naturam operari posse & in id, in quo est, & in externa vt patet de alteratione & generatione, sed quod agat in externa est ei commune cum arte, ideo id debuit accipi per quod ab ea distinguitur, competit autem omni Naturæ, vt sit principium alicuius interni motus.* ZABARELLA in princip.lib.de Natura & 2.phys. expositione t.3. eandem veritatem declarat, & concludit *Naturam propterea non potuisse definiri per actiones transeuntes.* Dominicus SOTO grauissimus, & Philosophus, & Theologus in 2.phys. q.1. his verbis hoc ipsum declarat. *Sequitur ex hac conclusione quod*

forma

forma non dicitur Natura, eo quod sit principium generandi sibi simile in externam materiam, vt forma ignis non dicitur Natura eius, ab eo quod aquam calefacere potest, & inde generare ignem; & paulo post, *neq; forma animalis dicitur Natura ab eo quod filium generet, sed ab eo quod est principium intrinsecum quo animal nutritur, augetur, & mouetur, localiter*. MARSILIVS in 2. physs. q. 1. dum declarat definitionem Naturæ, circa illam particulam, in quo est, sic ait; *Post dicitur eius, in quo est, quia respectu motus, quem facit tale principium in obiectum extrinsecum non dicitur Natura*; atq; ita concordat cum alijs supra citatis auctoribus.

SIMPLICIVS in 2. phys. Com. 25. dicit causam effectricem proprie acceptam esse separatam, & segregatam ab eo quod factum est, atq; ita indicat efficientem causam, quæ agit in aliquid extrinsecum; statimq; docet hanc efficientem causam non esse Naturam; his verbis *nam causa inexistens, vt forma & Natura copulatur, & vicina est cum principio secundum formã*; ideo contradistinguit hanc causam inexistentem tanquam formam & Naturam, ab effectrice causa separata & segregata ab eo, quod factum est. Ad idem confirmandum citat ibi auctoritatem ALEX. *oportet inquit, meminisse quod hic ALEX. fatetur non esse proprie effectricem causam Naturam sed formalem*, & aperte intelligit effectricem causam in aliquid extrinsecum, quam vocauerat separatam, & segregatam ab eo, quod factum est. Si enim loqueretur de causa efficiente intrinsece & in eo, vbi ipsa est aperte contradiceret sibi ipsi qui in eodem 2. phys. Com. 12. dicit *Naturam inesse ei quod producitur & actum internum esse Natura*, a causa ergo effectrice in extrinsecum distinguitur Natura. Idem SIMPL. citato 2. phys. Com. 56. *Natura naturaliter mouet quod dictu idem est intus mouet*, si ergo moueat extra, vt sic non erit Natura. D. THOM. in 1. par. q. 115. ar. 2. dicit Naturæ Nomen significare principium motus quod est in eo quod mouetur: & q. 29. art. 1. ad 4. idem pariter docet, significans manifeste tunc non esse Naturam neque fungi officio

officio naturæ, quando agit in extrinsecum, quod antea docuerat ARISTOTELES 9. Meta. t. 13. vbi Naturam vocat potentiam & principium motiuum non tamen in alio, sed in ipso prout ipsum est. Atq; vt videamus hanc doctrinam ab antiquioribus illis magistris ad recentiores & vsq; ad hæc nostra tempora emanasse adducamus aliorum recentiorum apertissimas auctoritates. FERRARIENSIS 2. phy. q. 1. sic dicit; *esse causam motus in eo in quo est, Naturæ in quantum Natura essentialiter conuenit, non autem mouere aliquod extrinsecum & ideo illud in definitione Naturæ ponitur, non autem istud.* PETRVS Vrtad. in sua phys. disp. 7. sect. 1. requisita Naturæ in §. 4. exponens inter alia hæc dicit, *secundum vt sit causa intrinseca rei, quæ mouetur per talem motum, vnde forma non sortitur nomen Naturæ vt est causa motus in alio, sed vt est causa motus in suo composito.* Raphael AVERSA q. 9. sect. 5. *communis & vera sententia docet naturam iuxta definitionem traditam debere esse principium immanens, & causam internam ita vt in eadem re sit natura, & motus seu quies respectu cuius dicitur Natura, neq; dicatur Natura respectu operationis, & effectus transeuntis ad extra.* RVVIVS quoq; in 2. phys. q. 1. circa finem in solutione 3. dicit *Naturam definiri per principium motus in eo in quo est, quia hoc est primum & proprium Naturæ esse*; sed principium motus existentis in alio non poni in definitione Naturæ quia secundario illi conuenit.



CA-

CAPVT QVINTVM.

Quando aliquid agit in extrinsecum non vocari Naturam propter hoc, sed potius Naturalem causam, & hoc conuenire efficienti, & Fini.

EX dictis in præcedentibus capitibus facile deducitur hæc veritas. Agens in extrinsecum, & producens aliquid extra suppositum in quo est non est Natura quatenus sic operatur, vt patet ex dictis, at efficiens, & finis ex propria sua ratione habent vt agant in extrinsecum, & operentur extra illud suppositum, in quo sunt, ideo vt sic non sunt Natura. Minor probatur ex AVER. qui in 5. phys. Com. 3. de Motore sic loquitur *Motor est de causis extrinsecis*, at motor est efficiens: idē AVER. 12. Meta. Com. 23. loquens de Motore & principio, vt significat efficientem causam appellat causam extrinsecam; longe clarius in 1. phys. Com. 1. tam de efficiente, quam de fine hoc idem significat dicens: *intendit per prima principia primas causas quæ sunt extra rem scilicet primum Agens & vltimum finem* de his duabus causis loquens D. THOM. 2. post. lect. 7. & contra distinguens à forma & à materia sic dicit: *hæc autem causa essendi aut est eadem cum essentia ipsius rei, aut alia, eadem quidem sicut forma & materia, quæ sunt partes essentiæ, alia vero sicut efficiens & finis.* His verbis D. THOMÆ apparet efficientem, & finem non esse Naturas quia hæ causæ sunt aliæ ab essentia, & Natura est essentia, vt probatum est cap. 3. Idem S. THOM. lib. 3. phys. lect. 5. *cum, inquit, quatuor sint causarum genera duo ex his sunt partes essentię scilicet materia & forma, vnde prædicatio, quę posset fieri secundum hæc duo pertinet ad prædicamentum substantiæ.* Loquens postea de causa efficiente dicit, *remanet igitur sola*

la causa agens; à qua aliquid denominari potest sicut ab exteriori. De fine quod sit extrinsecus vide ALEX.4.natur.cap. 12. Patet itaq; neq; Agentem causam, neq; finalem cum sint extrinsecæ esse Naturas; at sunt causæ rerũ naturalium, ideo appellari debent causæ naturales. Hoc cognouit aperte inter recentiores PERERIVS lib.7.cap. 4.explicans particulam definitionis Naturæ: *non enim Natura dicitur quia id, in quo est, moueat aliud, vt verbi gratia quod ignis calefaciat aliud, hoc enim dicitur potentia &c.* hic videmus duo dici alterum efficientem causam, vt efficit aliquid extra se non vocari Naturam; alterum vocari potentiam, quia vere est causa rei naturalis, & propterea causa & potentia naturalis. Non possum hic ommittere doctrinam allatam à PENDASIO in text. Phys. lib. 2. cap. 7. Considerat hic vir clarissimus duas causas finalem videlicet, & efficientem, & doctissime dicit neutri illarum conuenire de suo formali nomen Naturæ; non referam verba quia vnusquisq; apud ipsum potest legere.

Concludam, hoc caput cum Raphaele AVERSA vt videamus hanc doctrinam etiam perueniſſe ad nostra tempora, à doctissimis viris approbatam, hic in q. 9. sect. 5. distinguit optime Naturam, à causa naturali, & concedit causam efficientem quæ extra operatur iuxta exigentiam, & aptitudinem rerum, appellari causam naturalem, non tamen Naturam, atq; ita Deum esse quidem causam naturalem, & auctorem Naturę, non tamen Naturam rerum creatarum.

CA-

CAPVT SEXTVM.

Ab extrinſeco Actiuo factum motum non poſſe appellari naturalem, neq; à Natura, neq; ſecundum Naturam, niſi adſit aliquod intrinſecum, ſaltem paſſiua habilitas, & inclinatio recipientis mobilis.

PRobatur hoc primo ponderando caput primum lib. 3. Ethic. in illa parte vbi proponit definitionem violenti. *Violentum inquit eſt quando cauſa eſt extrinſeca, & qui agit nihil contulerit*, quãdo itaq; eſt cauſa extrinſeca, & prçſcindimus ab inclinatione ipſius patientis non poſſumus dicere eſſe motum naturalem, quia in hoc conuenit cum violento, vt ergo cognoſcamus an hic motus factus ab extrinſeco agente ſit naturalis, nec ne debemus reſpicere id quod confertur paſſo, nam ſi confertur ab agente extrinſeco aliqua inclinatio, & aliqua forma inclinans mobile in talem motum ille motus erit naturalis. Iſta veritas apertiſſime manifeſtatur ab EGIDIO in lib. 2. phyſ. expoſ. t. 6. dub. 3. his verbis: *Differentia inter dictos motus accipienda eſt, quia in motu naturali, aliqua vis & aliqua forma confertur paſſo per quam tendit in talem motum, in violento vero ſecundum quod huiuſmodi nihil tale tribuitur paſſo.* Explicat in exemplo, & motum violentum accipit lapidis, quando pellitur ſurſum, hic enim motus quia eſt ab extrinſeco, non ſecundum intrinſecam inclinationem paſſi vocatur motus violentus. Motus vero naturalis exemplum, quando fit ab extrinſeco actiuo affert huiuſmodi: *Sol trahit vapores ſurſum tanquam cauſa extrinſeca, ſed aliquam vim confert vaporibus, efficit enim in eis quendam calorem incorporatum quo mediante ſurſum tendunt*, & quia hic calor ſe habet intrinſece ideo hic motus eſt

naturalis; quamuis principale agens sit extrinsecum. SIMPLICIVS in 2. de Cęl. Com. suo 3. circa finem illius com. declarat quomodo anima, quæ secundum ipsum non est Natura, moueat nihilominus naturaliter, & dicit hoc contingere, quia quamuis ab anima fiat transitiua operatio fit tamen mediante Natura idest idoneitate ad moueri ad quam erat aptum mobile propter Naturam.

Vtitur in hoc declarando doctrina quadam PLATONIS lib. 10. de leg. Naturam ait esse motam ab altero, & mouentem alia, verum non secundum mouere subsistentem, sed secundum ipsius moueri aptitudinem, & significat quamuis actiuum sit subsistens id est separatum, & per se stans, posse tamen facere motum naturalem si sit passiua aptitudo ad ipsum moueri in mobili. S. THOM. 3. de Cœlo lect. 7. dat exemplum motus naturalis facti ab agente extrinseco, vt quando agentia superiora mouent corpora inferiora, & dicit hunc motum non esse violentum, sed naturalem, non ex ea parte qua fit ab agente extrinseco, quia vt sic posset esse violentus, sed quia incorporibus inferioribus est naturalis aptitudo, vt sequantur motus superiorum corporum, & ista aptitudo est intrinseca, & facit motum esse naturalem. ALBERTVS de Saxonia auctor non contemnendus in 1. lib. de Cœlo q. 1. art. 1. *alia, inquit descriptio motus naturalis dicitur, qui fit à principio actiuo intrinseco, vel actiuo extrinseco, dum tamen principium passiuum intrinsecum illius mobilis ad illum motum naturalem habeat inclinationem.* SVESSANVS in Com. disp. 13. (in quibusdam codicibus est disp. 14.) dum explicat respõsionem ad primum dubium mirifice confirmat hanc veritatem, *secundo inquit debes scire quod moueri ab extrinseco potest intelligi duobus modis secundum fundamenta Aristotelis, vno modo per circumscriptionem cuiuscunq; requisiti ad motum tanquam agentis & tanquam patientis, & sic omne motum ab extrinseco violenter mouetur, vt patet. Alio modo intelligi potest ab extrinseco per circumscriptionem*

nem ipsius agentis tantum, & sic potest motum ab extrinseco moueri naturaliter quando ei respondet passum inclinatum.

CAPVT SEPTIMVM.

In motu cœlesti doctrina præcedentis Capitis explicatur, et plenissime comprobatur.

INcipiamus ab auctoritate D. THOM. qui pluribus in locis hoc egregie docuit. Prima secundæ q. 6. art. 5. ad 2. *Motus cœli dicitur esse naturalis propter aptitudinem naturalem cœlestis corporis ad talem motum, licet mouens sit voluntarium*. Hoc mouens voluntarium alibi appellat S. THOM. mouens separatum, & propterea extrinsecum, à quo motus cœli non fieret naturalis nisi esset intrinseca inclinatio Cœli passiua ad talem motum; quo circa lib. 2. phys. lect. 1. sic scribit *sic etiam motus localis corporum cœlestium est naturalis licet sit à Motore separato, in quantum in ipso corpore cœli est potentia naturalis ad talem motum*. Sed apertissime de hoc loquitur in 3. contra Gen. cap. 23. præcipue in his verbis: *impossibile est quod principium actiuum motus cœlestis sit Natura*, paulo infra reddit rationem quomodo hic motus sit naturalis, si non fit à Natura tanquam ab Agente, & *ait non esse negandum motum cœlestem esse naturalem quia dicitur aliquis motus naturalis non solum ratione principij actiui, sed etiam ratione principij passiui*; & paulo infra concludit de motu Cœli, sic *ergo inquit motus cœlestis corporis quantum ad actiuum principium non est naturalis, sed magis voluntarius & intellectualis; quantum vero ad principium passiuum est naturalis, nam corpus cœleste habet naturalem aptitudinem ad talem motum*. In prima etiam par. q. 70. art. 3. ad 4. concordans cum prædictis sic ait: *Motus corporis cœlestis est naturalis non propter principium actiuum, sed propter principium passiuum &c*. Marcus An-

tonius ZIMARA in 2. phyſ. contrad. 3. multa habet ad hoc propoſitum valde conferentia, ſed præcipue hæc verba *dicamus motum Cœli eſſe naturalem, non quia ſit à forma naturali cauſatus, ſed quia eſt à principio paſſiuo:* docet enim in illius contradictionis ſolutione intelligentiam non eſſe formam Cęli ideo eſſe extrinſecam cęlo, & non dare motui Cęli quod ſit naturalis, ſed hoc haberi ab inclinatione intrinſeca ipſius Cęli. BVRLÆVS, cuius Com. in phyſ. ſemper fuerunt in magna æſtimatione apud doctos in 2. phyſ. in expoſit. t. 3. circa finem habet hæc verba; *dicendum quod motus Cœli eſt naturalis distinguendo naturale contra violentum, non diſtinguendo contra voluntarium; & quando dicitur, quod non mouetur à principio intrinſeco dicitur, quod mouetur à principio paſſiuo per ſe, & hoc ſufficit ad hoc quod motus ſit naturalis.*

Videamus quid ſenſerint celebriores recentiores, vt propterea appareat concordia antiquæ & nouiſſimæ philoſophiæ. Federicus PENDASIVS in textura phyſic. ſuper ſecundum phyſ. par. 7. de Cœli motu enunciat eſſe intellectualem, vt cum intelligentia confertur, ſed naturalem, vt ad habilitatem, ſeu radicem habilitatis ipſius Cœli refertur, quia adeſt Cœlis ad proprium motum circularem naturalis habilitas, cuius fundamentum & radix eſt ipſa eorum Natura, non habet ergo hic motus vt ſit naturalis, quia ſit ab intelligentia aſſiſtente, ſed quia eſt conformis habilitati Cœli. Franciſcus PICCOLOMINEVS lib. de Cœlo cap. 34. hoc ipſum declarans concludit motum Cœli eſſe naturalem quia Cœlum eſt procliue ad hunc motum, quamuis hic motus fiat à motore externo, & ab agente ſeparato. IANDVNVS 1. de Cœl. q. 7. hoc ipſum apertiſſime teſtatur præſertim in reſponſione ad primum dubium, præcipue illis verbis, *& ſecundũ hoc oportet dicere quod ad naturalem motum non requiritur intrinſecitas actiui, ſed tantum intrinſecitas paſſiui principij & recipientis motum,* & hoc applicat motui Cœli concedendo motorem huius mo-

tus esse. extrinsecum. ZABARELLA de Natura Cœli cap. vlt. pariter concedit cœlum indiguisse motore externo, sed nihilominus motum Cœli esse naturalem non ratione principij actiui quia vt sic fit à princlpio supernaturali, sed ratione principij passiui, quia cœlum est naturaliter inclinatum ad huiusmodi motum. Idem quoq; apertissime docet PERERIVS lib 7. cap. 7. Io: Baptista CONTARENVS in quæsit. de simplicitate corporis cœlestis cap. 6. & demum AVERSA q. 9. sect. 6. & sic apparet hanc doctrinam esse communissimam & dignam, quæ a philosopho recte iudicante approbetur. Adsunt etiam illustres Thomistæ idem plane asserentes videlicet FERRARIENSIS 2. phys. quæst. 1. circa finem. Dominicus FLANDRIA 12. Meta. q. 7. art. 6. ad 4. & GRATIADEVS 2. phys. q. 1. & 2.

CAPVT OCTAVVM.

Quomodo sint intelligendi Auctores qui contrarium dicere visi sunt de principio Actiuo cœlestis motus.

SCiendum est aliquos graues Auctores aliquando dixisse Cęlum moueri à principio intrinseco actiuo; Ita S. TH. 1. par. q. 70. art. 3. ad quintum illis verbis: *& hoc etiam modo potest dici quod Cœli motor est principium intrinsecum, vt sic etiam motus cœli possit dici naturalis ex parte principij Actiui.* Sequitur omnino FLANDRIA 12. Meta. q. 7. art. 6. ad 3. referendo præcise verba D. THOM. IAVELLVS in 2. phys. q. 1. imaginatur quoddam aggregatum ex cęlo & intelligentia, & sic intelligentiam tanquam animam Cęli mouere veluti actiuum intrinsecum. EGID. 2. phys. Comm. t. 6. dub. 1. valde fauet huic modo loquendi, sed expositio facile afferri potest, ex ijs

quæ

quæ docet ZIMARA doctiſſime 1. de Cęlo. contradict. 4. hæc omnia eſſe intelligenda per viam ſimilitudinis, & proportionis, quia intelligentia ſe habet veluti forma non quod ſit vera forma. Declaro verbis ALBERTI de Saxonia 1. de Cęlo q. 1. *eſt principium intrinſecum per appropriationem, per præſentiam, non per inhærentiam*, & D. THOM. citato loco, loquitur per modum ſimilitudinis dicendo, *cælum dicitur mouere ſe ipſum in quantum componitur ex motore & mobili, non ſicut ex forma, & materia, ſed ſecundum contactum virtutis*. Mercenarius optime hoc ipſum declarauit tom. 1. ſuarum dilucidationum explicans rationem ſecundam allatam ab ARISTOTELE in 1. de partibus animalium, & obſeruant etiam inter recentiores. CONIMBRICENSES 1. de Cęlo cap. 2. q. 3. ar. 3. ad ſecundum argum. & CONTARENVS de ſimplicitate Corporis cęleſtis cap. 6. Abſolute ergo & proprie cauſa motiua cęlorum eſt extrinſeca & ſeparata ſed ſecundum proportionem & ſimilitudinem vocari poteſt intrinſeca & quaſi forma. Huc reſpexit AVERR. 8. Meta. com. vlt. in verbis poſtremis.

CAPVT NONVM.

Quale Iudicium tulerint philoſophi Peripatetici de hoc quæſito an Deus & intelligentiæ ſint Naturæ.

SVpponendo ſemper ſermonem habẽdum eſſe proprie, ſtricte Phyſice, non Metaphyſice, non Theologice, non improprie non late, & Academice, dico has ſubſtantias non fuiſſe appellatas Naturas, ſed ſupranaturales & altioris ordinis quam ſit Natura. SIMPLICIVS in 2. de Cęlo Com. ſuo 37. quamuis fateatur ab ARISTOTELE Deum aliquando appel-

appellari Naturam vt in t.56.2.de Cęlo quem ibi exponit tamen ſtatim indicat hoc non dici proprie; verba SIMPLICII ſunt hæc. *Patet autem quod naturam nunc Deum vocat ARISTOTELES*, poſtea addit *nam proprie ab ipſo dicta Natura principium motus & quietis in quo eſt non ſolum prouidere non valet &c.* hic videmus ſignificatum Naturę pro Deo contradiſtingui à ſignificato Naturę proprio. S. THOM. 2. de Cęlo lect. 14. exponens illum eundem t. 56. quem etiam exponebat SIMPL. loco paulo ante allegato fatetur ipſe quoq; ibi ab ARISTOTELE Naturæ nomen accipi pro Deo, verum indicat etiam non ſumi proprie. verba D. THOMAE ſunt hęc *datur per hoc intelligi ſicut ALEXANDER notat quod ARISTOTELES hic ſentit quod Deus habet prouidentiam de his, quæ ſunt hic inferius: non .n. poteſt Natura attribui prouidentia ſecundum quod eſt quædam virtus in corporibus ſed ſolum per comparationem ad intellectum inſtruentem Naturam.* Quis non videt Naturam proprie à S. THOM. appellari virtutem in corporibus, Deum autem non dici proprie Naturam, ſed potius intellectum inſtruentem Naturam? SIMPLIC. in 2. phyſ. Com. 12. Statuit tria eſſe rerum genera, *aliqua naturalia aliqua deteriora naturalibus aliqua ſuperiora naturalibus*, & hæc vocat ſupra naturam, immaterialia, incorporea & ſeparabilia à corporibus & in 5. phyſ. Com. 5. ſic loquitur SIMPL. *de naturalibus intelligere oportet quæ poſſunt per accidẽs moueri, quæ .n. ſunt ſupra Naturam, quæ quidem ſunt primo mouentia non ſolum per ſe ſunt immobilia ſed etiam per accidens.* Videmus hic à Simplicio prima mouentia & immobilia appellari ſupra Naturam. Idem SIMPLIC. in 2. phyſ. Com. 54. dicit de his, quæ mouent non mota *non eſſe principium motus, vt eſt Natura, quia Natura mota mouet, iſta vero mouent non mota*; & Com. 56. eiuſdem 2. phyſ. *Primum mouens à Natura diſtinguit, quia Natura intus mouet primum mouens extrinſecus*, & addit paulo poſt *non eſſe primum mouens naturale principium, ſed tantum naturalium*, atq; ita interpre-

terpretatur ibi t.73,lib.2.phy. PHILOPONVS in 2.phys.in expos.t.70.causas immobiles appellat supra naturam. Idem PHILOP. in 2.phys.expos.t.12.dicit formam,quæ est Natura non esse separabilem subsistentia, sed tantum oratione definitiua,& consideratione, sed Deus & intelligentiæ sunt separata entia secundum subsistentiam;quia sunt actus assistentes,& per se complete subsistentes, & ideo ARISTOTELES lib.1.de Anima t.17.vocat hæc entia separata.SIMPLIC. in 8.lib.phys. Com.suo 107. dicit Deum, siue primum mouens non esse proprie in Cęlo sed Cęlum in ipso,sed Natura esse debet in alio,cuius est Natura,& in eo tanquam in subiecto, argumento t.4.lib.2.phys.& t.4.lib.2.de Anima AVERR. 12. Meta.Com.25.*dicit materiam, & Naturam distingui à substantijs abstractis,* sed ista prima mouentia sunt substantiæ abstractæ 1.de Cęlo c. 5. ergo neq; sunt materia neq; Natura.Idem AVERR. 1.de Cęl.com.5.disputans diffuse de motu cęli,& de eius motore habet hæc verba, *non est ergo intelligendum hoc, quod dicitur, quod natura in corpore cœlesti est causa motus esse formam forma .n. abstracta non significat naturam corporis.* ALBERTVS 2.phys.tract.1.cap.3 *mouens,inquit, ante quod non est aliud,non est natura, vt peripateticis placuit, sed intelligentia ordinis superioris & primi, vel causa prima*: ecce quomodo distinguitur causa prima à Natura. Cardinalis BESSARION in lib. de Natura, & Arte cap. 2. de mente Platonis dicit primam *rerum causam non esse Naturam, sed priorem & longe nobiliorem.* AVERROES de subst.orbis cap.1. ait non esse potentias in corporibus. ergo non naturæ. ALBERTVS 1.de Cęlo tract.1.cap.3. appellat motores cęlorũ *separatos à corporibus,* & ait comparari cum *corporibus sicuti intellectum artificis cum corpore quod mouetur ad formam artis,* ergo sunt motores extrinseci à cœlestibus corporibus propterea non Naturæ, quia Natura vt diximus est principium intrinsecum AVERR. 6. Meta.Com.2. distinguit Naturam à Deo sic dicendo: *intendebat,*

debat, quod quemadmodum naturalia sunt illa in quorũ definitione accipitur Natura; ita diuina sunt illa in quorum definitione accipitur Deus distinguit ergo Deum à Natura. Marcus Antonius ZIMARA 2. phys. contrad. 3. *quantum spectat ad præsens dicimus motum Cæli non esse naturalem à sua forma cum sua forma non sit Natura, sed sit supra Naturam*, idem ait in 2. de Cęlo contrad. 1. sed clarissime, & diffusissime in 8. phys. contrad. 8. præcipue in illis verbis *negaui motum Cęli esse naturalem ex parte intelligentia, ita, quod ipsa sit Natura, sed vt dixi sic motus cęli est supra Naturam pro quanto est ab aliquo principio altiore, quam sit Natura*. Idem ZIMARA in tabul. in verb. Natura est principium, idem apertissimis verbis testatur ibi *non quod velit commentator intelligẽtiam vere esse Naturam, imò est supra Animam, & anima supra naturam*.

Veniamus ad recentiores eosq; celebriores. Franciscus PICCOLOMINEVS in expos. 2. phys. super t. 5. de Motore cęli habet hæc verba, *qui motor Natura non est, sed supra Naturam*. Archangelus MERCENARIVS dum dilucidat rationem secundam primi lib. de partibus animalium apertissime docet intelligentias non esse naturas, quia sunt separatæ. ZABARELLA lib. de Natura cap. vlt. de formis à materia abiunctis per essentiam dicit non prædicari nomen Naturæ, hæ nanq; nullius corporis sunt Naturæ: idem ZAB. de Natura Cœli cap. vlt. ratione principij actiui motus cœlestis non est naturalis proprie loquendo, sed fit à principio supernaturali, & paulo antea in eodem cap. dixerat quod anima Cœli cum illi non det esse, illius natura appellari non potest. PENDASIVS in text. 2. phys. part. 11. elegantissime hoc idem prosequitur, & docet metaphorice tantum Deum & intelligentias vocari posse Naturas, non tamen proprie *receptum, inquit, est vt generis eius substantia non natura, sed meliores, ac digniores habeantur, quam Natura*; legenda illa pars 11. quia pulcherrime hoc totum declarat. PERERIVS lib. 7. cap. 7. *intelligen-*

tia si proprie loqui volumus non est Natura Cęli quia non dat esse illi, neq; est pars illius.

Accedant duo insignes Thomistæ. SONCINAS 12. Meta. q. 36. Intelligentia inquit non est intrinseca Cęlo, cum ei non vniatur vt forma, ergo ipsa non est talis Natura. Dominicus SOTO 2. phys. q. 1. in solutione primi, negat intelligentias esse naturalia entia, & habere in se Naturam, ex quo fit vt intelligentiæ non sint Naturæ, nam omnis Natura est in aliquo naturali essentialiter illi vnita, vt colligitur ex 2. phys. t. 4. intelligentiæ non sunt vnitæ alicui naturali essentialiter, ergo non sunt Naturæ. Probatur minor quia suppositum intelligentiæ non est naturale secundum Peripateticos, quia non mouetur, neq; est capax recipiendi motum, cęlo autem quod mouetur, intelligentia non vnitur essentialiter, ideo intelligentia nullo modo est Natura.

Recentiores etiam duo celebres & magni nominis eiusdem fuere sententiæ non recedentes à communi consensu philosophorum hi sunt Raphael AVERSA q. 9. sect. 6. & HVRTAD. in sua phys. disp. 7. sect. 1. vbi excludit Deum à ratione Naturæ, eo quia est causa extrinseca, Natura autem intrinseca.

CAPVT DECIMVM.

Non esse dicendum Deum esse Animam Mundi, partem eßentialem, et actum formalem siue formam, sed tantum vniri per modum Agentis.

DEum esse Animam mundi dixerunt quidam veteres, verum nunc reputatur erroneum, vt S. THOM. obseruat 1. par. q. 3. art. 8. de qua re legi potest D. AVGVST. 7. de ciui-

tate

tate Dei cap.6.& EVSEBIVS lib.14. de preparatione euangelica cap.6.etenim vt ait S. THOM. in 1.p.q.8. art.1. *Deus non est in rebus vt pars essentiæ vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit*, & art.2. eiusdem q.8. dicit Deum esse in omnibus rebus, quia eis dat esse (intelligit effectiue, non formaliter) & operationem. Eadem q.ar.3.ad primum *dicendum, inquit, quod Deus dicitur esse in omnibus per essentiam, non quidem rerum, quasi sit de essentia earum, sed per essentiam suam, quia substantia sua adest omnibus vt causa essendi*. Idem S.THOM. in 1.sent.dist.37.q.1.art.1. ad primum *dicendum inquit, quod quamuis essentia diuina non sit intrinseca rei quasi pars veniens in constitutionem eius tamen est intra rem quasi operans & agens esse vniuscuiusq; rei*. Hæc testimonia aperte negant Deum esse Naturam rerum quia ex antedictis Natura est essentia eius cuius est Natura. Notandus est in hoc proposito modus loquendi D. THOMÆ & eiusdem argumentum in 1. contra Gent.cap.26. vbi ait Deum non posse dici esse omnium rerum sicut aliqui falso opinati sunt, argumentum valde ingeniosum est hoc; si Deus esset esse omnium, ista propositio esset vera lapis est Deus, non minus quam ista lapis est ens, & ratio est quia ens prædicatur de lapide essentialiter, itaque concesso quod Deus sit esse lapidis prædicaretur Deus de lapide, sed hæc sunt falsissima, ideo Deus non ita est in rebus, vt esse Dei sit esse rerum. Hoc totum argumentum à lapide ad Mundum transmitti potest, nam si Deus veluti anima Mundi daret esse formaliter Mundo, diceretur Mũdus formaliter aliquid diuinum, sicut homo formaliter intellectiuus. Propterea mihi non placet modus loquendi SVESSANI, qui explicans AVER. in disp.3.solut. dub. 12. audet dicere quod esse Dei est esse omniũ, & quod peius est, vult sic interpretari doctrinam theologorum dicentium Deũ esse vbiq; per essentiam, & nihilominus vidimus propterea non fieri vt Dei esse sit esse omnium. Vlt. circa hoc aduertendum credo doctrinam D.Th.1. par.q.

6. art. 4. Dicit vnumquodq; esse bonum bonitate diuina tanquam primo principio exemplari effectiuo & finali, sed formaliter vnumquodq; creatum esse bonum sua bonitate sibi inhęrente, quod etiam dici potest de esse vniuscuiusq; rei. Et ideo S. TH. in 21. de verit. art. 4. in fine corporis hoc dicit de bonitate, quod dicit deinde de esse rerum in 1. par. q. 3. art. 8. ad primum; & vt videamus Deum non esse Animam mundi obseruemus doctrinam D. TH. 1. p. q. 51. art. 1. ad 3. viuificare, inquit S. Doctor, duobus modis accipi potest primo effectiue, secundo formaliter, non repugnat Deo viuificare effectiue, sed repugnat viuificare formaliter, at si esset Anima deberet dare vitam formaliter vide EGID. 2. sent. dist. 17. q. 2. ar. 3. in fine, idem afferentem de Deo.

CAPVT VNDECIMVM.

Quomodo sint explicandi graues Auctores, qui dixerunt Deum esse Naturam Naturantem res creatas esse naturas Naturatas.

ISta distinctio insinuata fuit ab AVERR. 1. de Cęl. Comm. 2. vbi meminit Naturæ naturatæ. Idem in 1. de partibus Anim. cap. 5. vocat naturam Diuinam, idest essentiam: colligitur eadem distinctio ex BOETIO in op. de consolatione philosophiæ lib. 3. metro 2. vsurpauit etiam Glos. in l. respiciendum ff. si certum petatur, & inter Medicos Nicol. serm. 1. in principio; explicatio vero huius termini, & eius acceptionis proponitur à D. THOM. exponente illum locum BOETII. *Natura, inquit, naturans est Deus, à quo dependet Cęlum & tota Natura, vt dicitur Natura naturans in quantum influit naturis istorum inferiorum* ex quo loco habemus idem esse dicere Naturam naturantem, & causam siue auctorem Naturæ quod S.

AVG.

AVG. in 15. de Trinitate cap. 1. expressit dicens *Deum esse Naturam, sed creatricem*, itaq; resoluitur in idem ac si diceremus est substantia, causa omnis Naturæ. Deus .n. cum sit prima causa rerum omnium operatur in omnibus operibus naturæ, ideo attribuuntur illi opera etiam naturæ vt optime obseruauit D. THOM. 1. p. q. 105. art. 5. in fine corporis, & 3. contra Gentiles cap. 67. in fine: sed propterea non fit vt Deus proprie dicatur Natura, quia vt sic consideratur, veluti agens ad extra & veluti producens, & conseruans totam naturam, ex dictis vero in superioribus constat sic appellari debere causam naturalem, non naturam. Hoc obseruarunt duo celeberrimi recentiores PICCOLOMINEVS in lib. de Cęl. cap. 34. vbi propterea vocat Deum modo quodam Naturam, hoc est naturam eminentem, naturam naturantem, & naturam meliorem, quasi dicat in gradu superiore, quam sit natura proprie dicta. PENDASIVS longe expressius vere eleganter hoc significauit in textura 2. phys. par. 11. longum esset referre verba, & crederem fore superfluum, sufficiant hæc pauca. *Licet de illa quoq; quam vocant naturam superiorem vel naturantem sermo habendus sit, & ab Aristotele habitus fuerit, non tamen nec talis natura, nec sermo de ipsa sub appellatione naturæ continetur, nec de ipsis agendum fuit tanquam de naturis &c.* Concludam hoc caput cum obseruatione NICOLI approbata etiam à PENDASIO in loco citato quamuis nomine naturæ naturantis intelligatur Deus, tamen in 2. phys. definitam naturam esse tantum naturam naturatam, ex quo sic arguo, definitio naturæ habita in 2. phys. non est de natura naturante, sed tantum naturata: nostra disputatio est de natura iuxta definitionem traditam in 2. phys. 3. ergo nostra disputatio non erit de Natura naturante, sed de naturata, atq; ideo excludendus ab hac disputatione Deus.

CA-

CAPVT DVODECIMVM.

Formas Assistentes non posse appellari Naturas eorum quibus assistunt, neque constituere sed ad hoc requiri veram, et proprie sumptam informationem.

CRedo non posse hoc melius explicari & ostendi quam obseruando quid dicant de formis assistentibus philosophi grauiores & quæ attributa illis assignent, ex his videbimus non bene cohærere assistere & esse Naturam. primo accipio doctrinam ALBERTI 8. Meta.tract. 1.cap. 3. vbi ait formam accipi duobus modis primo *prout est Natura & actus dãs esse, & substantia eius cuius Natura. Alio modo, vt est essentia quadam separata*. Hic obseruo à Natura contradistingui essentiam separatam, sed actus assistentes à philosophis dicuntur separati, ergo actus assistentes contra distingui debent à Natura. Minor assumpta probatur primo inducendo t. 17. lib. 1. de Anima, in quo ARISTOTELES appellat actus, de quibus agit Metaphysicus separatos, & secundum mentem AVERROIS ibidem intelligit formas, *quæ sunt abstracta in rei veritate secundum esse, & secundum intellectum*, & secundum PHILOPONVM ibidem intelligit formas diuinas, quæ ab omni materia sunt perfectissime separatæ. addit ibi PHILOPONVS esse actus sine potentia, nemo dubitat has esse formas non informantes, nam forma informans accipit à materia quandam potentialitatem ex qua consurgit, vt possit pati, argum. t. 55. lib. 1. de Gener. Actus itaq; assistentes dicuntur separati, quod erat probandum. Ad idem probandum affero AVICENNAM lib. 9. suæ Meta. cap. 4. vbi intelligentiam contradistinguit ab Anima sic; *anima est forma, intelligentia est*

separata, ergo apud AVICEN. pro eodem accipitur esse separatum & non esse formam, sed Natura est forma, vt omnes fatentur ex 2. phys. 10. & pluribus sequentibus, ergo Natura non est separata, sed actus assistens ibi ab Auicen. contradistinguitur à forma tanquam separatus. Veniamus ad AVER. & ponderemus locum ex 1. cap. de substantia orbis, insinuat AVER. ingeniosissime formas assistentes de illis quasi enunciando duo contradictoria, primo existere in suis subiectis, secundo non existere in subiecto, neq; in toto, neq; in parte, imò esse formas abstractas, ex quo accipio argumentum, forma abstracta non existens in subiecto neq; in toto neq; in parte est separata, formæ assistentes sunt abstractæ non existentes in subiecto neq; in toto neq; in parte. ergo sunt separatæ. ergo non Naturæ. Idem AVERR. libello de beatitudine animæ cap. 1. sic loquitur de supremo gradu & glorioso, vt ipse appellat, qui vocatur gradus intellectuum abstractorum, *vere sunt formæ dantes perfectionem non existentes in subiecto* quatenus dicit non existere in subiecto ponit hunc gradum separatum, & secundum doctrinam suam non esse Naturam cum dixerit ipse AVERR. 1. de Cęl. comm. 5. quod forma abstracta non significat Naturam corporis. Verum quia AVERR. in supra citatis locis vnit hos actus subiecto & dicit esse formas dantes perfectionem & esse in subiecto, ideo oportet hoc explicare, & non potest melius hoc fieri, quam ex doctrina D. THOMÆ: duplex .n. est vnio altera motoris cum mobili, altera formæ cum materia per S.THOM. 2. contra Gent. cap. 57. de spiritualibus creaturis art. 6. 1. par. q. 70. art. 3. vbi dicit vniri huiusmodi formas corporib. propter solam motionem, & statim addit, ad hoc autem quod moueat nō oportet quod vniatur ei, vt forma, sed per contactum virtutis, sicut motor vnitur mobili, & 1. contra gentes cap. 26. in fine si ergo consideremus vnionem per contactum virtutis, istæ formæ sunt vnitæ, & naturaliter inseparabiles à corporibus & in illis; sed si re-

si respiciamus vnionem formæ cum materia sunt actu separatæ, appellantur separatæ substantiæ 1. de Ani. 17. sed Natura quo ad hanc vnionem formæ non debet esse separata, imò coniuncta essentialiter, & intrinseca naturali suo: vt supra ostensum est: & ad maiorem expressionem huius rei iuuat obseruare doctrinam D. TH. in 2. contra Gent. cap. 68. quatenus ibi dicit, alio modo coniungi formam materię, alio modo principium effectiuum, nam forma est principium essendi substantialiter ei, cuius est forma principium inquit non effectiuum, sed formale, quo aliquid est. Deducit inde S. THOM. formam & materiam conuenire in vno esse. Principium autem effectiuum secus se habet respectu eius, cui dat esse effectiue: in prima etiam parte q. 8. art. 1. distinguit esse in alio tãquam partem essentiæ, & tanquam agens, & negat Deum esse in rebus tanquam partem essentiæ, concedit esse tanquam principium effectiuum. In eadem 1. par. q. 51. art. 1. ad tertium distinguit viuificare formaliter, à viuificare effectiue, & concedit Deum viuificare posse effectiue, non tamen formaliter. Hæc omnia ostendunt vnionem actus assistentis non esse vnionem Naturæ, quia natura dat esse formaliter, assistens causa effectiue cum vniatur tantum, vt motor. Redeo nunc ad illud quod paulo ante tetigi videlicet actum assistentem ideo non posse vocari naturam quia est actus separatus, contra id, quod dici debet de natura proprie sumpta; & ad hoc probandum assumo auctoritatem ALEXANDRI qui lib. 12. Meta. Com. suo 20. aperte distinguit animam informantem ab intelligentia assistente, & huic intelligentiæ assistenti tribuit esse substantiam separatam, longum est verba referre ALEX. sufficiat hæc tantum apponere; *vniuersi autem motrix substantia huiusmodi est seiuncta inquam, simplex, & actu; ipsa igitur est maxime intelligibilis*; si seiuncta, ergo non Natura, eo quia assistens tantum est. SIMPLIC. in 8. lib. physic. Comm. suo 107. mouens assistens Cęlo non solum vocat separatum, & dicit

reorsum adesse vniuerso, quod indicat hoc esse seiunctum, verum etiam dicit de eo non esse proprie in Cœlo, sed Natura proprie est in eo, cuius est Natura, argum. 2. phys. t. 4. & 2. de Anima t. 4. ergo assistens principium non est Natura. Concludamus hoc cum eodem SIMPLIC. 2. phys. Com. 54. vbi habet *naturam mouere motam*, quod ergo mouet, & non mouetur natura non est ex SIMPLIC. ibidem sed assistentes causę mouent, & non mouentur vt passim conceditur, ergo assistentes causæ non sunt Naturæ. Minime etiam nobis concedendum est assistentes actus constituere, quoniam non constituunt, nisi quæ sunt intrinseca, & quæ informant. Consideremus ad hoc propositum id quod docet BOETIVS exponēs Porphyrium in cap. de differentia; de constitutiua differentia loquitur, & dicit, *sed ista differentia si ad inferiores species considerentur informant species, earumq; substantiam conuenienti copulatione constituunt*, Hoc idem voluit BOETIVS ipse significare in lib. de duabus Naturis & vna persona Christi, dum dixit, *vniuscuiusq; naturam esse rem informantem specificam differentiam*; obseruo illi verbum *rem informantem*, nam constituere si formaliter intelligatur, & non effectiue semper tribuitur intrinseco, & informanti principio; quod etiam respexit S. THOM. in 1. par. q. 40. art. 2. vbi dixit distinctionem, & constitutionem rei, semper intelligi per aliquod intrinsecum; assistens ergo principium quia extrinsecum, constituere non potest nisi effectiue.

Ad vberiorem huius veritatis confirmationem libet mihi in fine huius primæ sectionis sic arguere. Constituens aliquid debet esse eius differentia substantialis, actus assistens non est differentia substantialis eius cui assistit ergo actus assistens non potest constituere. Maior est PORPHYRII cap. de differentia & colligitur ex AVER. 5. Meta. Com. 7. vbi dicit *differentias substantiales facere vnum essentialiter*, hoc autem est constituere. Minor. propositio probatur Differentia substan-

E tialis

tialis conducit ad esse, actus assistens non conducit ad esse ergo actus assistens non est differentia substantialis: maior est eiusdē PORPHYRII citato cap. de differentia, vbi ingeniose Cardinalis CAIET. explicat *conducere ad esse accipi pro dare esse specificum, & per consequens trahere genus ad esse in quo differentia constituit.* Minor probatur primo supposita doctrina ALBERTI 2. de Anima tract. 1. cap. 1. illis verbis, *alterum autem in eodem genere substantiæ acceptum est forma, & species secundum quam dicitur iam formata res naturæ hoc aliquid, eo quod formando ipsum & specificando dat ei esse.* Hæc auctoritas probat formam informantem dare esse; quod vero assistens non det esse probo in præsentia, ex modo loquendi philosophorum communiter recepto, & quem expressit IANDVNVS 2. de Anima q. 2. & 3. de anima q. 5. dicendo animam intellectiuam quæ secundum eius opinionem est forma assistens homini non vniri corpori secundum esse, siue vnitate ipsius esse, neque dare esse, & addit lib. 3. de Anim. quæst. 5. formam accipi posse dupliciter alteram dantem esse, & hęc est informans alteram dantem operationem & non esse, & hæc est assistens qualis secundum ipsum in homine est anima intellectiua, ergo assistens non dat esse, sed operationem tantum. Apertissime etiam hoc deducit Iacobus ZABARELLA in 2. de anim. exponens t. 7. & 8. sed non credo meliorem explicationem peti posse quam illam, quæ deducitur ex doctrina AVERR. considerante, & obseruante eodem ZABARELLA lib. de mente humana cap. 3. quia .n. AVER. credidit animam intellectiuam non esse hominis formam informantem sed tantum assistentem ideo dixit hominem secundum esse non constitui ab anima intellectiua, sed ad constituendum hominem introduxit cogitatiuam formantem intrinsece, si vero potuisset assistens constituere satis fuisset homini applicare intellectum quamuis non formantem.

Sapienter ALEXANDER 8. Meta. Com. 13. reputat fieri

non

non posse vt forma assistens constituat, & faciat vnum per se dicit enim, *at si forma esset per se, quomodo cum materia vniri posset, ne intelligi quidem potest omnino.* Forma autem, quæ est per se ab ALEX. intelligitur quę est complete subsistens in se qualis est forma assistens, formam autem informantem in eodem Com. 13. appellat non per se in subsistentia existentem.

Scite ACHILLINVS lib. 3. de orbib. dub. 1. pro eodem accipit formam dantem esse, & formam informantem, ZIMARA pariter in quæsito de triplici causalitate intelligentiæ. Ille ideo affirmat intelligentiam dare esse Cęlo, quia credit Cęlum informari ab illa; hic negans intelligentiam informare Cęlum, consequenter negat dare esse Cęlo; concordant ergo ambo in hoc quod assistens non det esse ei cui assistit, sed tantum operationem, & motum; vt ad mentem AVERR. ponentis intellectum in nobis tantum assistere dicit SVESSANVS in 1. lib. de intellectu tract. 2. cap. 10. 11. & 12. Concludam hoc caput & sectionem cũ expressa doctrina ARISTOTELIS dilucidando eam cum ALEX. & D. THOMA. Quod constituit aliquid in esse dat etiam illi vnitatem per se; forma assistens cum eo cui assistit non facit vnum per se; ergo forma assistens non constituit aliquid in esse. Maior probatur argumento t. 3. lib. 4. Meta. *idem est inquit. ARISTOTELES homo, ens homo, vnus homo*; & vt bene declarat S. THOM. ibidem lec. 2. qui producit hominem producit ens hominem, & qui producit ens hominem producit etiam vnum hominẽ, ergo quod dat esse dat vnitatem in illo esse. Minor propositio apertissime probatur per 7. Metaph. t. 49. vbi ARISTOTELES dicit duo actu existentia non posse facere vnum actu, ex quo t. communiter desumitur illa propositio celeberrima, ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum per se. Hunc locum tractans ALEX. 7. Meta. Comm. suo 38. circa finem sic ait: *nunquam. n. duæ substantiæ actu existentes vnam substantiam conficiunt quæ actu valeat existere, vt homo hic non potest cũ hoc homine*

ad vnius hominis constitutionem conuenire; & S. THOM. eodem 7. Meta. lect. 13. addit; *ad hoc vt aliqua fiant vnum actu oportet quod omnia concludantur sub vna forma & quod non habeant singula singulas formas, per quas sint actu*: & paulo post addit, *est .n. intelligendũ quod duo in actu existentia nunquam faciunt vnum*; sed forma assistens, & illud cui assistit sunt duo entia in actu completo, quorum vtrunq; habet suam formam, & suum subsistere, ergo ex illis non potest consurgere aliquod tertium vnum per se, ergo neq; fieri inde potest vera, & realis constitutio, quæ attenditur penes esse, & vnitatem per se.

Finis Primæ Sectionis.

Habes hactenus lector fundamenta mea generaliter iacta, nunc lege obseruationes circa dicta ãb Excellentiss. D. Collega meo, accipe non vt castigationes, sed vt notationes. Dic esse responsiones non oppugnationes, neq; credas esse dissidium, vbi summa est in veritate inuestiganda concordia. Aristoteles amicos suos vocat Socratem, & Platonem, à quibus in re Philosophica sæpe discedit.

PRÆ-

PRÆFATIO SECVNDÆ SECTIONIS.

PRopoſitum meum in hac ſecunda ſectione eſt diligenter, & accurate obſeruare, et ponderare pleraq; dicta ab Excellentiſs. Collega in primo lib. de Natura Primo mouente, *et de ſingulis ingenue proferre quid ſentiã; nolo in hoc eſſe iudex, ſed rationis tantum afferre, quæ me cogunt ne deſeram communem philoſophorum opinionem.*

Iuxta diſtinctionem illius libri hanc meam ſectionem diuiſi; capita reſpondent capitib. Paginas ſingulas notaui, vt poſſit quicunq; voluerit ſtatim loca reperire, & conferre illius dicta cum meis animaduerſionibus. Quia vero Excellentiſs. Dominus multa ſæpe, & ſæpius repetit, et eaſdem rationes, et textus iteratis vicibus inculcat, ideo ego nolens aliquid prætermittere, ſine obſeruatione, coactus fui in eaſdem repetitiones incidere. Excuſabis me lector prudens et omnia æqui boniq; conſules. Non attuli eius verba ſingula, ſed vim rationum, ſperans fore vt quilibet illum librum præ manibus habere poſſit; Eſſet quidem mihi gratiſſimum ſi qui has meas conſiderationes legit, ſimul etiam librum Excellentiſſimi Collegæ ante oculos haberet.

SECTIO SECVNDA

CAPVT PRIMVM.

1 PRoponitur in pag. 2. à Præstantiss. Collega meo diuisio Primi Mouentis, & assignantur quatuor prima mouentia non mota, videlicet finis, mouens se ipsum, intelligentia secunda, Deus. Hæc distinctio approbanda mihi videtur, dummodo nec finem, nec mouens se ipsum credamus esse prima mouentia absolute, & simpliciter sed tantum secundum quid, & in tali suo genere. De fine quidem fatetur etiam hic ipse Excellentiss. Collega meus pag. 3. De mouente se ipsum aperte docet ARISTOTEL. 8. phys. 44. vbi quod mouet se ipsum contradistinguitur ab immobili primo, & vere primum mouens absolute debet esse penitus immobile tam per se quã per accidens, tam à se, quam ab alio, 8. phys. 52. sed quod mouet se ipsum est mobile per se, saltē à se, 8. phys. 43. ergo quod mouet se non est primum mouens absolute, sed hæc relinquantur, vt clar. & concessa.

2. In eadem pag. Proponitur t. 23. lib. 12. Meta. quasi ibi loquatur ARISTOTELES de causa finali, & verba illius t. sunt hæc; *& prima causa, vt mouens in alio alia. Sanitas, morbus, corpus &c.* Dico hunc t. non bene allegari ad ostendendum loqui ARISTOTELEM de causa finali, & sanitatem in illo t. dico non accipi pro fine, sed pro forma, & de fine ibi nullam fieri mentionem: ARISTOTELES .n. in illo t. loquitur de tribus intrinsecis elementis .i. de materia de forma, & de priuatione, & de vna causa extrinseca videlicet mouente, siue efficiente; & accipit sanitatem tanquam formam, morbum veluti priuationem, corpus tanquam subiectum, artem medendi tanquam causam efficientem, vt ibi omnes expositores explicant, præcipue ALEX. & D. TH. & quod de fine ibi non fiat

men-

mentio apparet ex S.THOM. manifeste, qui dubitat cur ibi ARISTOTELES nihil de fine, & respondet quia *finis non est principium nisi prout est in intentione mouentis*; & quamuis ad formam possit reduci finis, quod notarunt in illo t. ALBERTVS, & SVESSANVS, tamen non habetur ex illo t. formam esse finem sed alibi, vt 2. phy. 70. 74. & 81. quo circa cum t. 23. lib. 12. Meta. sanitatem accipiat vt formam, non vt finem non bene ad finis expressionem credo citari illum t. 23. Scio alibi sanitatem acceptam esse vt finem 2. phys. 29. & 2. post. t. 51. sed in illo t. 23. dico sic non fuisse acceptam; & ideo male ad hoc propositum a legari.

3. In Pagina tertia & quarta agitur de Primo mouēte quod mouet se ipsum, & non solum animali corruptibili, & mortali tribuitur mouere se ipsum vt expresse concessit ARISTOTELES, præcipue 8. phys. 29. verum etiam cęlo, & quod maius est, etiam Mundo, tanquam animatis, & viuentibus. Hic paulisper subsistendum esse credo. De Cęlo quidem nihil dicam sed infra cap. 7. n. 8. & 9. quia cęlum esse animatum de mente ARISTOTELIS probabile reddiderunt aliqui textus eiusdem philosophi, & grauissimorum Peripateticorum auctoritates itaq; de Cęlo non disputo, quamuis possem facillime sustinere, Cęlum non esse animatum proprie, & formaliter loquendo.

De Mundo constantissime dico secundum ARISTOTELEM neq; animatum esse, neq; mouere se ipsum. Primo sic arguo, quod mouet se ipsum, est vnum per se, Mundus non est aliquid vnum per se. ergo mundus non mouet se ipsum; maior patet argumento animalium, quæ mouent se ipsa 8. phys. 27. & 29. habent enim vnitatem quandam in se ipsis per se, minor probatur quia Mundus non est aliquod vnum per se sed potius aggregatum quoddam omnium corporum simplicium, quæ cum sint entia in actu completo non possunt constituere aliquod vnum per se; argum. t. 49. lib. 7. Meta. illis verbis: *qua*

.n. duo

.n. duo sic actu sunt, nunquam vnum actu sunt; esse vero Mundum huiusmodi aggregatum constat ex libello de Mundo ad ALEX. cap. 2. *Mundus* inquit *Aristoteles, est compages e cælo terraq; coagmentata atq; ex ijs naturis, quæ inter ea continentur*. Ad hoc respiciens SIMPLIC. 3. phys. Com. suo 46. dicit *vniuersum constitui ex partibus mutuo se tangentibus non ex continuis* dat ergo Mundo vnitatem solius tactus, quæ non est vnitas per se.

Confirmatur idem: Vnitas solius ordinis est vnitas per accidens; Mundus habet vnitatem solius ordinis ergo Mundus habet tantum vnitatem per accidens: maior conceditur ab omnibus & apparet in exercitu, qui dicitur vnus vnitate ordinis: minor probatur multiplici auctoritate vnaquaq; clarissima. ALEX. 2. naturalium quæstionum cap. 19. ARISTOTELIS 3. de cęlo t. 24. 1. de Cęlo t. 107. quamuis hic loquatur ex principijs etiam Empedoclis: 12. Meta. t. 52. & potest etiam hoc colligi ex 8. Meta. t. 10. quatenus rerum substantiæ, & species similes dicunt esse numeris, in quibus maxime viget ordo, si ergo Mūdus est veluti ordinatus exercitus sub Deo tanquam sub Duce, vt habetur 12. Meta. citat. t. 52. iure merito dicemus Mundum non habere vnitatem per se. Probo etiam Mundum apud Aristotelem non esse animatum; si totus Mundus esset animatus, animatæ etiam essent eius partes principales, vocatæ partes secundum speciem, sed animatæ nō sunt hæ partes principales principaliter integrantes Mundum, & vocatæ secundum speciem, ergo neq; animatus est Mundus. Probatur maior argumento animalium, nam eadem forma informatur totum, & partes principaliter integrantes animal vt etiam fatetur infra Dominus meus Collega cap. 10. pag. 114. probatur minor, elementa sunt partes Mundi principales appellatæ secundum speciem 1. de Cęlo t. 5. elementa non sunt animata vt docet ARISTOTELES 1. de Anima t. 86. & 87. & ALEXANDER 2. de Anima cap. 27. ergo partes

principales Mundi non sunt animatæ. Arguo ad idem confirmandum ex doctrina, ALBERTI In summa de Hom. par. 2. circa finem. Anima in omni corpore animato, aut continuitatem ponit, aut colligātiam ad vnū per naturam. partes Mundi nec sunt continuæ, nec colligatæ ad vnum per naturā. ergo partes Mundi non sunt animatę vna anima omnib. communi; Ad idem etiam sic arguo, vna anima numero non potest informare partes, quæ differunt in materia etiam remota. partes Mundi, intelligendo cœlum, & elementa, differunt in materia etiam remota, ita vt non habeant materiam eiusdem rationis loquendo etiam de remota, ergo vna anima has omnes partes non potest informare. Maior propositio. potest probari ex ARISTOTELE tum 1. de anima t. 53. tum 2. de anima t. 26. in quibus locis ait non quamlibet animam posse ingredi quodlibet corpus, requirit ergo conuenientē dispositionem in corpore, vt recipiat animam, sed corpora quę differunt, etiā in materia remota non possunt habere dispositionem eiusdem rationis ad recipiendam vnam & eandem animam. Quocirca ALBERTVS in 1. de Anima tract. 2. cap. 7. dicit animam debere habere communicationem secundum speciem ad hoc corpus, & non ad aliud secundum speciem, corpora itaq; differentia etiam genere remoto non informabuntur ab vna anima; minor principalis argumenti probatur, quia Cœli, & corpora inferiora differunt in materia non solum proxima, sed etiam remota vt constat ex ARISTOTELE 8. Meta. t. 12. & 12. Meta. t. 10. & est vulgata propositio 10. Meta. t. vlt. *corruptibile & incorruptibile esse diuersa genere*. Quod si obijciatur THEMISTIVS qui 1. lib. de anima cap. 24. approbare visus est animam hanc Mundi. Responsio ipsum loquutum fuisse more Platonico, vt sæpe etiam fecit SIMPLIC. Posset etiam opponi AVERR. qui 2. de Cœlo 42. & 71. dicit hunc Mundum esse quasi vnum magnum animal, & idem asseruit in disput. 3. in solutione 18. dub. sed vere AVERR. non voluit Mundum in-

formari ab vnica anima, ſed regi ab vno Rectore, & principe, & aſſimilari animali in hoc, quia animal quoq; habet vnum membrum princeps à quo regitur. Hanc eſſe veram ſententiam AVERR. 1. deduco quia ipſe 2. de Cœlo 42. non appellat Mundum animal ſimpliciter, ſed quaſi animal, denotans improprietatem in illa particula, quaſi, deinde oſtendo manifeſte per eundem AVERR. lib. 12. Meta. Com. 44. vbi ait totum vniuerſum ſe habere tanquam optimam ciuitatem gubernatam ab optimo principe; non ergo requiritur vna forma totum Mundum informans, ſed ſufficit vna virtus regitiua, & gubernatiua. Obſeruo etiam doctrinam eiuſdem AVER. 8. phyſ. Com. 17. vbi mouere ſe ipſum, & propterea eſſe ſimile animato, non tribuit Mundo, ſed corpori cœleſti, indicans ad ſummum concedi debere cœlum eſſe animatum, & mouere ſe ipſum, non autem Mundum.

4. In eadem pagina quarta aſſignatur eſſe aliquod mouens ſe ipſum, quod ſimpliciter non mouetur ab alio, & quia tale mouens ſe ipſum non eſt animal vllum ſub cęleſte, ideo eſſe cœlum, & Mundum, quaſi hæc ita moueāt ſe ipſa, vt nullo modo moueantur ab alio.

Circa hoc ego dicendum puto, nullum reperiri mouens ſe ipſum, quod aliquo motu non moueatur ab alio, etiam voluntas creata, dū mouet ſe, mouetur à Deo. S. THOM. 1. p. q. 105. art. 4. ad 2. & ad 3. Diſtinguendum credo circa id quod mouet ſe ipſum, habet ad minus duos motus, quorum altero mouet ſe ipſum, & quo ad hunc motum non mouetur ab alio, atq; ita intelligo 8. phyſ. t. 34. habet deinde alium motum, quo mouetur ab alio, & ad quem ſe habet paſſiue, Vtq; hoc oſtendam adduco tria quæ dicere poſſumus mouere ſe ipſa, & ſunt animalia ſubcęleſtia, Cœlum, & Mundus (dato & non conceſſo quod Mundus moueat ſe ipſum) de vnoquoq; eorum probo moueri ab alio, non tamen eo motu quo mouent ſe ipſa. De animalibus ſubcęleſtibus eſt res apertiſſima ex lib. 8. phyſ. t.

20. & 51. neq; in hoc immorandum est; De Cœlo ego probo adducendo doctrinam ALEX. qui credens cœlum esse vere animatum & mouere se ipsum nihilominus agnoscit aliquod aliud extrinsecum appetibile, à cuius desiderio mouetur anima cœli, & hæc est intelligentia assistens cęlo, & perpetuo immobilis quæ amatur ab anima Cœli, & saltem in genere finis mouet animam cęli, vt propterea verum sit cęlum præter motum quo mouet se moueri etiā ab alio, vide D. THOM. 1. contra Gentes cap. 13. & SIMPL. 8. phys. c. 107. Potest ad eundem sensum fortasse non inuitus Duci AVER. lib. 12. Meta. Com. 41. vbi ait *motum Cœli fieri à duobus motoribus, quorum alter est Anima existens in Cœlo motionis finitæ, alter est potentia non in materia, motionis infinitæ*; dum alibi dixit AVERR. videlicet in 8. phys. 17. cęlum mouere se ipsum, possumus intelligere ratione istius animæ in cęlo existentis, sed quia præter animam datur alius motor non existens in materia, quia non informat corpus, video propterea cœlum moueri etiam ab alio, quia mouetur à principio extrinseco ratione cuius cęlum non mouet se; imò ad hoc mouens infinitæ virtutis se habet sicut animal subcęleste se habet ad continens à quo mouetur.

5. Venio nunc ad Mundum, & intendo probare Mundum habere aliquod extrinsecum, à quo moueatur; & primo accipio quid nomine Mundi hic debeamus intelligere; docet ARISTOTELES 1. de Cœlo 96. *contentum corpus ab extrema circumlatione totum, & vniuersum appellari*, & sicuti clarius dixit idem ARISTOTELES libello de Mundo ad ALEX. cap. 2. *Mundus est compages, & aggregatio corporum videlicet Cæli, Terræ & aliarum naturarum, quæ inter ea continentur.* Deus itaque non includitur in Mundo tanquam vera pars, sed est tantum Auctor, & conseruator Mundi; & colligitur ex eodem ARISTOTELE citato cap. 2. illis verbis *dicitur etiam Mundus ordo, & digestio vniuersorum, quæ à Deo & per Deum asseruatur*: hic obseruo Deum esse causam Mundi, non Mundi partem;

tem;atq; ita explico eundem ARISTOTELEM dum eodem lib. de Mũdo cap. 7. appellat *Deum partem Mundi*, dicitur enim improprie pars, cum ſit vera cauſa efficiens à qua Mundus eſt, & conſeruatur; plura infra cap. 10. n. 14. D. THOM. 1. contra Gentes cap. 13. Deus inquit non eſt pars mouentis ſe ipſum. Eſſe Deum efficientem cauſam Mundi, de mente Ariſtotelis, non ſolum dixit ALBER. 8. phyſ. tract. 1. cap. 4. & 4. phy. trac. 1. cap. 2. verum etiam AVERR. in diſput. 9. ſolutione vltimi dub. illis verbis, *patet ergo quod oportet quod Mundus habeat vnum efficiens ſagaciſſimum.* Deus ergo pertinet ad Mundum tanquam princeps, & cauſa effectiua, propterea extrinſeca, vt AVERR. ſignificauit in epitom. Meta. tract. 4. cap. 7. & 8. nec non poteſt colligi ex 12. Meta. t. 52. vbi S. THOM. dicit eſſe aliquod bonum ſeparatum quod eſt primum mouens, & ideo vniuerſum habere duplex bonum, alterum ſeparatum, & alterum in ipſo ordine vniuerſi, ſicut apparet in exercitu cuius bonum eſt in ordine exercitus, & in duce. Vide S. THOM. 1. p. q. 103. art. 2. ad 3. Notum eſt neq; Ducem eſſe partem exercitus, neq; Deum partem Mundi, ſed Deum eſſe bonum ſeparatum: quo poſito ſic arguo.

Quod mouetur à mouente ſeparato, vt ſic mouetur ab alio, Mundus mouetur à mouente ſeparato ex ſupra notatis ergo Mundus vt ſic mouetur ab alio, quomodocunq; fingatur animatus eſſe, quia ſemper erit verum hoc ita animatum mouetur à ſeparato motore ideſt à Deo.

6. Sed fortaſſe melius erit conſulere de hoc Platonicos, qui ſunt defenſores acerrimi huius mundanæ animæ, & propterea dicunt Mundum eſſe magnum animal, & mouere ſeipſum, ſi hi ipſi dicunt Mundum etiam moueri ab alio, conſtabit apertiſſime non valere hanc conſequentiam, Mundus mouet ſe, ergo non mouetur ab alio.

Plato in Timæo, Mundi perfectionem celebrans dicit quidem eſſe ſibi ſufficientem, omnia habere in ſe ipſo, nulla re indigere

digere, & quia animal est maximum mouere se ipsum. Hoc etiam ALCINOVS in lib. de doctrina Platonis cap. 12. verbis magnificis exaggerat; nihilominus idem Plato in Ciuili satis clare docet Mundum egere conseruatore sui, & gubernatore, ita vt si ab alio nõ regatur futurum sit vt tota hęc Mundi moles corruat. PLOTINVS Eneade 4. lib. 4. cap. 11. Mundi gubernationem, ait, *esse tanquam animalis vnius, qua gubernatio partim extrinsecus tractat animalis partes, partim vero ab intrinseco regit*; Videmus hic cum interno principio regiminis Mundi externum etiam in eodem coniungi. Marsilius FICINVS in conuiuium Platonis in Commentario orationis 6. cap. 7. docet quomodo anima Mundi pendeat à prima mente, & à Deo, & quomodo *ad superna se flectens ab illis radium accipiat, & accendatur*, quod pariter indicat animam Mundi & mouere Mundum, & à superiore aliquo moueri. Idem FICINVS in 10. Dialogum de leg. docet in anima Mundi esse duplicem potentiam, alteram intellectualem, alteram motricem, & de motrice ait subesse alteri, cui quidem nisi *subesset quanto efficacior est ad motum, tanto magis carens arte præcipitaret vniuersum, atq; confunderet*: Anima itaq; Mundi eo ipso quod mouet, subest alteri, à quo mouetur, & gubernatur. Idem FICINVS Commentario in Timæum cap. 7. reddit rationem quare Mundus indigeat rectore gubernatore, & conseruatore, *quia degenerat ab vnitate & constat ex partibus valde diuersis, & sibi inuicem repugnantibus, ideo sicut est ab alio factus, ita quoq; ab alio regitur & conseruatur*. Vere hæc doctrina pulcherrima, & verissima sumpta est à PLOTINO Enneade 3. lib. 2. cap. 2. vbi docet Mundum hunc sensibilem dependere ab intelligibili Mundo, & sicuti declinat ab vnitate illius Mundi intelligibilis, ita ab alio accepisse esse, & conseruationem. SENECA pariter lib. de prouidentia: cap. 6. Mundum perfectum quidem esse docet, his verbis; *exteriora contempsit spectaculo sui latus*, verum idem SENECA Mundum

dum egere alio, à quo sit, & in esse conseruetur docet apertissime 2. lib. quæst. naturalium cap. 45. *custodem videlicet & rectorem vniuersi animum, ac spiritum mundani huius operis dominum & artificem necessarium esse*. Itaq; non valet consequentia Mundus est perfectus, ab anima sua mouetur ergo non ab alio. Sed vt veritatem dicam mihi valde arridet id, quod scribit Philo IVDÆVS in lib. de Agricultura *Mundum esse sicuti gregem, quem Deus veluti Pastor regit*.

Persistamus in hac Metaphora; grex mouet se ipsum tanquam animatus, nihilominus mouetur à Pastore. Eidem PHILONI lib. de Abrahamo placuit similitudo aurigæ, dicendo *praesse Mundo quendam aurigam gubernatoremq; qui operis sui saluti prouideat, tanquam curator & tutor*. Equi mouent se ipsos, nihilominus ab auriga quoq; impelluntur. Sed quia vere Mundus caret anima, ideo cum eodem PHILONE lib. de confusione linguarum dicendum puto *Mundum non suo libero motu moueri, sed gubernari à Deo rerum dispensatore, qui salutariter clauum moderatur vniuersitatis*; & in lib. de Decalogo idē PHILO dicit *germanæ philosophiæ studiosos, & puræ pietatis sectatores discere egregiam sententiam, nullam Mundi partem esse suimet compotem, & suomet arbitratu agere, sed creatoris prouidentia gubernari*: hæc sufficiant circa hanc considerationem. Ad. t. itaq; 34. lib. 8. phy. credo sic respondendum esse, id quod mouet se ipsum non moueri ab alio eo motu quo mouet se, cęterum alio motu moueri ab alio, etiamsi sit Cœlum, vel Mundus. Nota dictum AVERR. 2. physs. t. 73. in fine. *Motores sub primo principio non mouent nisi moueantur ab eo*. & innitendo t. 52. lib. 8. physs. sic arguo: Illud quod nullo modo mouetur ab alio est primaria radix ęterni motus: quod mouet se ipsum qualecunq; sit non est prima radix æterni motus. ergo quod mouet se ipsum non est nullo modo motum ab alio, imò aliquo motu motum ab alio: Vtraq; propositio habetur in t. 52. lib. 8. physs. si recte, & profunde intelligatur.

7. In pagina ſeptima, octaua, & nona aſſeritur Deũ ſecundum ARISTOTELEM non mouere primum orbem immediate, ſed hoc munus fuiſſe demandatum alicui intelligentiæ ſecundæ; Deum autem tanquam communem, & vniuerſalem cauſam aſſiſtere toti Mundo, nec eſſe motorem immediatum alicuius particularis orbis; Quamuis ſciam hanc ſententiam valde probabilem eſſe, & doceri à grauiſſimis viris præcipue à Theologis, tamen ſemper coactus fui dubitare an ſit omnino conformis menti, & ſententiæ Ariſtotelis; proferam ergo hic breuiter ea, quæ me inclinant probabiliter in contrariam ſententiam, & quibus adducor, vt facile credam apud Ariſtotelem Deum mouere effectiue primum orbem immediate. S. THOM. 12 *M*eta. lect. 9. exponendo t. 43. illius libri, de opinione Ariſtotelis hoc profert iudicium: *Exiſtimauit quod octaua ſphæra in qua ſunt ſtellæ fixæ eſſet primum mobile, & motor eius eſſet primum principium*; & paulo poſt addit *& ſatis conueniens videtur, vt primus motus rerum corporalium, à quo omnes alij dependent, habeat pro cauſa principium immaterialium ſubſtantiarum.* Nemo negat principium ſubſtantiarum immaterialiũ eſſe Deũ. Ioannes GRAMMATICVS 2. phyſ. c. t. 73. Primo omnium tribuit circumducere octauam ſphęram. AVERR. 12. *M*eta. Com. 38. ſic loquitur de motore primi motus; *illud quod mouet primum motum, quia eſt actus purus ſine aliqua potentia impoſſibile eſt vt habeat aliam diſpoſitionem ab ea, quam habet*; ex quo loco ſic arguo. Actus purus ſine omni potentia apud AVERR. eſt ſolus Deus, ita in 3. de anima Comm. 5. in 3. quæſt. mouens immediatum primi orbis eſt actus purus, ſine aliqua potentia, citato comm. 38. ergo motor primi orbis ſecundum AVER. eſt Deus. Idem AVER. citato Com. 38. de hoc eodem motore ſic ait, & *primus Motor mouet iſtum motum tantum ſine medio* & intelligit per primum motorem illum quem paulo antea dixerat eſſe actum purum ſine omni potẽtia. Idem AVER. 12. *M*eta. 44. totum *M*undum aſſimilat magnæ ciuitati opti-

me gubernatæ, in qua Princeps habet actionem propriam quę est nobilissima actionum, *& si non, esset inquit ociosus*; & hanc *actionem intendunt per suas actiones omnia, quæ sunt sub Principe*: manifeste secundum hanc similitudinem assignat Deo actionem propriam imitabilem à reliquis inferioribus motoribus, & hæc actio non potest esse nisi motus primi orbis, qui ab ARISTOTELE 2. de gener. 56. & 2. de cęlo 20. appellatur motus totius, nam eo motu mouetur totus Mundus dependenter à prima sphęra, & ideo AVER. disp. 3. in solut. 18. dub. appellat *hunc vniuersalem motum*, propterea maxime conuenietem primæ vniuersali causæ: & quod isti causæ tribui debeat hic motus immediate deduco ex ARISTOTELE lib. 12. *Meta*. t. 43. *principium* inquit *& primum entium, tum per se, tum per accidens immobile est, mouens autem primo & sempiterno & vno motu.* Obseruo motum primum tribui principio, quod est primum entium, hoc vero est tantum Deus, cui etiam in 2. de gen. t. 59. ARISTOTELES assignat facere continuam generationem mediante videlicet hoc motu, dicente eodem ARISTOTELE 2. de gen. 56. motum, qui vocatur *totius, & est motus primæ sphæræ esse causam continuitatis* generationis. Modum autem expressit egregie AVER. secundum quem opinari possumus Deum mouere primum orbem effectiue, & nihilominus esse causam finalem omnium motuum: in 12. *Meta*. Comm. 37. obseruo hæc verba. *Alia videntur esse electa & desiderata propter alia, scilicet principia aliorum motuum cælestium præter motum diurnum. Quod autem hunc notum facit videtur esse electum per se*: & paulo post *est enim electum per se, & amatum omnibus, tale autem est perfectum secundum finem*: hic manifestũ est AVER. loqui de Deo, quem vocat electum propter se, & perfectum secundum finem, hic est amatus ab omnibus alijs mouentibus inferioribus, & tamen hic vltimus finis facit motum diurnum eodem com. 37. ideo mouet effectiue, & immediate hunc motum. In Com. etiam 44. lego hæc verba: *quod autem Moderni*

dicunt

dicunt substantiam primam esse priorem motore totius falsum est, quælibet .n. substantia istarum est principium substantiæ sensibilis, & secundum motorem & secundum finem. Obseruo hic ab AVERR. affirmari substantiam primam esse motorem totius, motus autem totius est motus diurnus primæ sphæræ, vt habetur 2. de gener. 56. & 2. de cœlo 20. Soleo etiam ad idem sic argumentari. Immobile principium mouens, ad quod ascendit ARISTOTELES in 8. phys. est motor alicuius cœlestis orbis, & præcipue primi; motor inquam, primus effectiuus & immediatus; sed immobile ad quod ascendit ARISTOTELES in 8. phys. est Deus. ergo Deus est motor primus effectiuus, & immediatus cœlestium orbium, præcipue primi; nam mouendo primum mouet reliquos; maior propositio probari potest; quia physicus non cognoscit in primo Motore rationem vltimi finis, & mouere in ratione finis, sed tantum rationem mouentis effectiui, vt sæpe docuit AVERR. præcipue in proęm. 1. phys. & 3. Meta. com. 3. quocirca in 1. de Gener. 14. fatetur ARISTOTELES se in 8. phys. tantum egisse de immobili causa effectiua generationis, finalis autem ratio causandi, quę est in primo principio, est incognita Physico, declarata à Meta. lib. 12. t. 36. cognoscit quidem physicus quomodo moueant hi fines proximi, qui sunt in materia, 3. de anima 54. sed quomodo abstractum à materia moueat vt finis, non cognoscit, cognoscit mouere effectiue, & ideo in 8. phys. resoluitur ad immobile mouens effectiuum, quod mouet cœlestes orbes motu perpetuo, vt bene deducitur ex 8. phys. 53. minor propositio probatur ex pond. t. 52. lib. 8. phys. vbi immobili principio, ad quod ascenderat, tribuit ARISTOTELES esse causam permanentiæ, & stabilitatis vniuersi dicendo *& manere ens ipsum in se ipso, & in eodem, principio enim manente necesse est omne manere continuum existens ad principium*; vbi SIMPL. per *ens ipsum* intelligit Mundum, & ita communiter exponi solet ille locus, sed permanentia Mundi non habetur ab

alio, quam à Deo, qui illius est causa, & conseruator. ergo immobile, de quo in 8. phy. est Deus. Confirmo idem, quia dum ARISTOTELES in 8. phys. 84. quærit locum conuenientem motori primo, & illum collocat in circulo magis quam in medio, creditur quærere locum Dei, tanquam primi Motoris quocirca AVER. in illo Com. 84. dicit *omnes leges conuenire in hoc quod Deus habitat in Cælo:* & SIMPLIC. 8. phys. c. 107. longe clarius dicit *primum mouens, quod ponitur in Cælo esse id, quod continet totum Mundum sua infinita potentia, ac vi*, huiusmodi autem non est nisi Deus, neq; timendũ est, ne ponendo sic Deum in primo orbe immensitatem eius, per quam est vbiq; destruamus, nam vt bene obseruat S. THOM. in exposit. illius t. 84. idest in 8. phys. lect. 23. *primum Mouens non dicitur esse in aliqua parte mobilis, per determinationem suæ substantiæ, siue per aliquam affixionem, sed per efficientiam sui motus*, poterit ergo mouere immediate primum Cœlum, & nihilominus continere totum Mundum sua infinita potentia ac vi, vt ait SIMPLICIVS 8. phys. Cõ. 107. & esse vbiq; per immensitatem.

8. In eadem pagina nona afferuntur verba ARISTOTELIS 1. Metaph. sum. 2. cap. 2. in quibus laudatur Anaxagoras dicens *vt in animalibus ita in natura intellectum esse causam Mundi totiusq; ordinis:* hic obseruo ARISTOTELEM laudare Anaxagoram quatenus intellectum ponit in natura veluti causam efficientem, non veluti causam formalem ita 8. phys. 77. & hoc oportet bene animaduertere pro dicẽdis in sequentibus in c. 10. n. 2. Constat hoc ex illo c. 2. cuius titulus est, *Veterum opiniones de causa efficiente*, atq; ideo grauissimi expositores illius cap. 2. omnes in hoc conueniunt, vt intellectus in natura ponatur tanquam causa efficiens de mente Anaxagoræ: videndus D. THOM. 1. Meta. lect. 5. Alex. ALENS. 1. Meta. t. 21. secundum eius diuisionem, vbi exponit tantum de causa efficiente. ALBERT. etiam magnus 1. Metaph. tract. 3.

cap. 10. & clarissime omnium ALEX. Aphrodisæus 1. Metap. Comm. 29. & vere non potest aliter exponi opinio Anaxagoræ, qui ponebat mentem impassibilem, & immistam, tanquam principium motus; ex ARISTOTELE 8. phy. t. 37. vbi sic de Anaxagora; *quapropter & Anaxagoras recte dicit mentem impassibilem inquiens & immistam esse, quoniam principium motus ipsam facit esse, sic enim mouebit cum sit immobilis, & vincet cum sit immista*; ecce quomodo Anaxagoras intellectum in Mundo constituebat vt causam effectricem, non tãquam causam formalem; etiam in 1. de Ani. 34. & sicuti ait ARISTOTELES lib. 3. de anim. t. 4. Anaxagoras dicit *intellectum esse immistum, vt dominetur* ergo vt agat; quocirca non possum non mirari SVESSANVM, qui lib. 1. Metap. in expos. illius cap. 2. dicit Anaxagoram posuisse mentem esse animã Mundi, atq; vniuersæ naturæ, nõ video vnde hoc colligat SVESSANVS, nam mens Anaxagorica est immista; & omnino per se subsistens, actiua segregationis partium similarium, non autem inexistens corporibus sicut anima inexistit animato; est intellectus separatus ex testimonio D. THOMÆ 1. contra Gentes cap. 20. & quæstione de Anima art. 8. ad 3. Hęc volui breuiter adnotasse pro dicendis in sequentibus considerationibus.

Addo pro maiore explicatione opinionis Anaxagorę 1. Metap. t. 16. vbi ARIST. de Anaxagora dicit duo elementa ipsum potuisse; explicant omnes de duobus principijs videlicet de *causa efficiente, & de materia*: ita D. TH. lect. 12. circa finem: ALBERT. Magn. 1. Meta. tract. 5. cap. 3. ALEX. Alensis 1. Meta. t. apud ipsum 40. & SVESSANVS, qui non amplius interpretatur intellectum Anaxagoræ pro anima Mundi, vt supra fecerat, sed pro sola causa efficiente, vt patet apud ipsum 1. Meta. in expos. t. 16. Neq; dicat quispiam posse intellectum simul esse formam, & causam efficientem, quia respectu eiusdem idem numero, non est forma, & efficiens sed idem spe-

cie, iuxta vulgatam doctrinam ARISTOTELIS 2. phys. 70. quo in loco legi debet S. THOM. lect. 11. egregie hoc explicans & 1. p. q. 3. art. 8. si ergo ista mens est vera causa effectiua *M*undi nõ bene dici poterit forma, & anima *M*undi: nisi æquiuoce, & per similitudinẽ, & proportionaliter, Hic t. sæpissime repetitur infra a D. meo, expositio hic allata sẽper afferẽda.

9. In pagina decima, & vndecima, asseritur Æternitatem motus generaliter accepti reducendam esse in Deum tanquã in primum motorem communem, & vniuersalem, perpetuitatem vero cęlestis motus resoluendam in intelligentias secundas motrices orbium. Ego autem credo perpetuitatem motus in genere, quæ consistit in successione, & serie motuum inferiorum non interrupta, & semper consequenter se habentibus motibus ad alios motus vt 6. physic 94. non soli Deo tribuendam esse, sed intelligentijs etiam secundis, cęlorum motricibus, & vtor hoc argumento. Effectus, qui possunt reduci ad causalitatem causæ secundæ non soli Deo attribuendi sũt, sed etiam efficientiæ causarum secundarum: motus perpetuus in genere reduci potest ad causalitatem secundæ causæ. ergo non soli Deo tribui debet, sed etiam efficientiæ secundarum causarum. *M*aior propositio diffuse probatur à S. THOM. 3. contra Gen. cap. 69. 2. dist. 1. q. 1. art. 4. 3. de potentia art. 7. & 1. par. q. 105. ar. 5. Habetur ex D. AVG. 7. de Ciuitate cap. 30. AVER. inter philosoph. illam docet 9. *M*etæ. comm. 7. & 12. *M*eta. Com. 18. & in scholis Theologicis defenditur communiter contra GABR. oppositum sentientem in 4. dist. 1. q. 1. circa finem. *M*inor propositio est ARISTOTELIS apertissimẽ nam ipse hanc perpetuitatem motus vniuersim accepti tribuit semper efficientiæ cęlorum, & motuum cęlestium, vt in 2. de gen. 55. & 56. 2. de Cęlo t. 20. AVERR. hoc firmat manifeste 8. phys. 47. ibidem ALBER. non repugnat ibi SIMPL. quamuis aliam etiam expositionem adducat, & Iacobus ZABARELLA in eodem 47. tãdem idem fatetur. In 1. etiam *M*eteoro-

teororum cap.2.legimus huius Mundi inferioris necessariam esse connexionem cum superioribus lationibus, vt inde omnis eius virtus gubernetur. S. THOM. 12. Metaphys. lec.7. & ideo in 2. de Cęlo t. 2. inter encomia cœlestis corporis dicitur illud esse perfectum, & continēs, & esse principium, & causam aliorum: quo posito sic credo me posse arguere. Ab intelligentia motrice cęlorum pendent duo effectus, videlicet motus cęli, & eo mediante successio motuum inferiorum, & Deus vt causa prima cum ipsa intelligentia, cōcurrit, cur ergo soli Deo tribuemus successionem motuum, intelligentiæ vero cęlestem lationem tantum, & non potius, & Deo, & intelligentiæ non assignabimus vtrunq; effectum, sed Deo tanquam causæ primæ, intelligentiæ, tanquam causæ secundæ? sunt .n. hæc omnia subordinata essentialiter secūdum naturam, successio motuum Cęlis, Cęli intelligentijs, intelligētiæ Deo: & Deus cum singulis concurrit.

10. In pagina vndecima dicitur de Deo omnia ab eo dependere in esse, & in operari tum velut à causa finali, tum velut à causa effectrice, tum etiam velut à *causa formali* totius Mundi. In hac vltima particula caute procedendum censeo, nam Deū esse causam formalem Mundi non simpliciter, & indistincte accipiendum est, sed secundum aliquam proportionem & similitudinem. Primo huc aduocanda sunt omnia, quæ dixi in sect. 1. cap. 10. vbi credo efficaciter probatū fuisse Deum non esse Animam Mundi, ex quibus motiuis etiam deduci potest Deū non esse veram Mundi formam. Addo nunc AVERR. doctrinam valde obseruandam disp. 3. solut. 5. dub. vbi habet *nullum philosophorum opinatū fuisse, quod primum principium sit in Mundo sicuti anima est in corpore*; negat ibi AVERR. Deum proprie loquendo esse causam formalem Mundi; & in hoc proposito optimum est, & vtile legere ZIMARAM in Tabula in verb. *Deus non est principium totius &c.* AVERR. in 12. *Meta.* Com. 37. docet *Deum esse perfectionem Mundo extrinsecam, & omnia*

qua-

quarere assimilari huic primo principio, eo modo, quo possunt, sicuti serui erga suos dominos se habent, serui enim dicuntur esse propter dominum, & omnia entia propter hoc primum principium, quis nõ videt assistentiam tantum tribui primo principio, & dum appellatur extrinsecum excludi à vera causa formali? sed ne persistamus tantum in AVERR. videamus quæso quæ ex ARISTOTELE deduci possunt lib. de Mundo cap. 7. *Deum, ait, esse in Mundo, vt gubernatorem in naui, agitatorem in curru, ducem in exercitu,* sed nullus horum est causa formalis, nisi tantum extrinseca, & proprie est causa effectiua. Illa Metaphora, ducis, & exercitus adducitur etiam in 12. Meta. t. 52. Videantur ea, quæ supra in hoc eodem cap. n. 5. diffuse probata sunt. AVERR. etiam 2. de Cęlo. Com. 1. dicit *Deum & intelligentias esse extra cęleste corpus,* si essent causæ formales, essent vere intra. Legendus D. THOM. 1. contra Gentes cap. 26.

11. Adducitur in eadem pagina vndecima ad probandum Deum esse causam formalem Mundi duplex textus, alter est in 1. *M*eta. sum. 2. cap. 2. alter in 12. *M*etap. t. 49. circa priorem t. iam dixi quæ necessaria visa sunt pro eius explicatione supra hoc eodem cap. n. 8. dico ergo breuiter illum t. non posse adduci ad probandum Deum esse in *M*undo tanquam formam, sed tanquam causam efficientem solũ videantur notata in illo nu. 8. Text. 49. lib. 12. Meta. nec etiam probat Deum esse formam; sed vel esse finalem causam, vel causam effectricem, vel fortasse ille textus non loquitur de Deo; hæc omnia sunt à me breuiter explicanda. Primo de causa finali visus est explicasse illum t. ALEX. relatus à SIMPLIC. in 1. de Cęlo. Com. 88. Deus est. Causa finalis, & tanquam aliquod appetibile, & bonum mouet animam cęli: sicuti ergo est vnus finis, & vnum appetibile, ita quoq; debet esse vnum proxime, & immediate appetens; si darentur plures Mundi essent etiam plura æq; immediate appetentia hunc vltimum finem, & hoc reputatur esse inconueniens; reddit rationem SIMPL. ibidem, & ab eo accepit etiam

S.

S.THOM. in 1.de Cęlo lect. 18. quia multitudo ad vnum non accedit æqualiter immediate, sed quodam ordine seruato, secundum prius & posterius, si essent plures Mundi, quorum alter in altero non contineretur, multa appeterent immediate vnum, & multitudo disparata non subordinata accederet æqualiter ad vnum, scilicet ad vltimum finem; Ita exponendo illum t 49. Deus erit finalis causa Mundi, non autem formalis; Sed meliorem credo alterā expositionem quę est SIMPLICII citato Com.88.1.de Cęlo: Deus est primum mouens, etiam in genere causæ efficientis; sed quando ordinata series multorum mobilium subest vni primo mouenti tunc illud mouens potest mouere omnia quæcunq; ad illam coordinationem spectant, & in illa includuntur, cęterum si noua fiat coordinatio, & sit omnino disparata à prima coordinatione ille motor non poterit in hanc secundam seriem rerum agere, quia mouebat adequate tantum ea quæ erāt in priori ordinatione & ad hanc posteriorem transire non poterit, ideo multiplicatis Mundis, qui sunt istæ rerum coordinationes disparatæ, necessarium est multiplicare motores primos. Et hoc præcipue verum erit si sustineamus multorum Peripateticorum opinionē vt AVERR. 8. phy.79.2.de Cęlo 71. ZABARELLÆ 8.phy.super t.86. PICCOLOM. de cęlorum motoribus cap.34. RAGVS. disp.10.c.10. quod primum mouens secundum ARISTOTELEM non habeat virtutem infinitam intensiue; mouebit enim adæquate hunc solum *M*undum, & alium nihil commune cum nostro *M*undo habentem mouere non poterit. Idem autem iudicium faciendum est de *M*undis multiplicatis, & de motoribus, vt ait S.TH.12.*M*eta.lect. 10. super illum t.49. ita vt si *M*undi differant numero, numero quoq; differre debeant primi motores, quia docuit ARISTOTELES 12.*M*eta.44.intelligentias coelorum motrices eundem habere ordinem, quem habent orbes: quocirca ALEX.in 12.*M*eta.Com.suo 30. *Motores, inquit, sic se habent, vt ea quæ ab ipsis mouentur:* si ergo mobilia erunt plura nume-

numero, & eadem specie, motores etiam erunt plures numero, ijdem specie. Quod vero in illo 49. non possit ARISTOTELES loqui de forma Mundi, sic deduco: supponit Aristoteles hos motores esse immateriales, vt notat S. TH. super illum t. 49. esse simplices essentias, & actus sine potentia, imò substantias separatas, vt obseruat ALBERT. 11. Meta. tract. 2. cap. 28. At si essent formæ cęlorum intelligentiæ & Deus, haberent esse in materia, & de illis iudicium ferendum esset sicuti de nostra Anima intellectiua, quæ est quidem sine materia 3. de ani. 15. & 16. nihilominus multiplicari potest numero sub eadem specie, quia est forma materiæ. Dico tertio & vltimo secundum principia posita ab Excellentiss. Collega meo pag. 7. 8. 9. vt dixi supra n. 7. illum t. nihil probare de Deo, sed solum ad summum de aliqua intelligentia secunda, & sic arguo; Mouens immediate primum orbem secundum ipsum, non est Deus, sed intelligentia secunda, vt obseruatum est à me supra n. 7. t. ille 49. loquitur de motoribus immediatis orbium ergo non loquitur de Deo: minor propositio probatur ex doctr. D. TH. in exposit. illius t. 49. in lect. 10. *Si essent, inquit plures cęli secundum numerum & in eadem specie sicut sunt plures homines, oporteret etiam quod simile iudiciũ eßet de primo principio vniuscuiusq; cęli quod est mouens immobile.* ALBERT. etiam in 11. Meta. tract. 2. cap. 28. applicat argumentum Aristotelis mouenti cęlos, hæc sunt verba, *& ex hoc sequeretur quod cum principium sit forma cęli quæ est substantia separata, quod motores etiam vnius cęli possent esse numero multa, & specie vnum*; in quibus verbis etiam obseruo Albertum appellare hos cęlorum motores formas cęli, sed simul etiam vocare substantias separatas, ad euitandum errorem ne crederemus esse veras formas cęlorum. AVERR. etiam in illo Com. 49. intelligit argumentum ARIST. de motoribus cęlorum sic dicens *erit igitur principium cęlorum vnum in specie, plura numero.*

Fortasse posset obijci, quod ARISTOTELES in illo t. 49.

appel-

appellat primum mouens *ipsum quod quid erat esse* & proptere a indicat esse formam, imò AVERR. sæpe numero sic loquutus est appellando Deum primã formam, vt citato Com. 49. patet; & disp. 3. ad 18. dub. nec non 4. de Cœlo Com. 1. proęm. 1. phys. 3. de Cęlo Com. 61. & 12. Meta. Com. 5. & 6. vere ergo dicetur Deus forma Mũdi. Verum responsio petenda est à verbis. D. TH. in expos. illius t. 49. vocatur Deus *quod quid est*, non quia sit forma alicuius rei, sed quia est sua essentia, & actus; addo cum AVERR. citato Com. 49. esse *primam essentiam non habentem materiam*, dicitur ergo forma ratione sui actus non quia sit perfectio formalis alicuius, sicuti est vera, & propria forma.

CAPVT SECVNDVM.

1 IN pagina decima sexta asseritur Mundum, & cœlum esse motores simpliciter immobiles ab alio; ego iam in cap. 1. n. 4. 5. & 6. conatus sum ostendere neq; cœlum, neq; Mundum carere motore extrinseco, & de vtroq; debere dici quod aliquo motu moueantur ab alio; legantur ibi satis diffuse scripta.

2. In eadem pagina decima sexta intelligentiæ appellantur formæ corporum, hoc non credo absolute admittendum esse, iuxta ea, quæ probaui supra cap. 1. n. 10. & 11.

3. In pagina decima septima assignatur duplex mouens physice, aliud vt principium, *Quod*; aliud vt principium, *Quo*, illud prius subdiuiditur in Mundum, & cœlum quatenus hęc mouent se ipsa; posterius subdiuiditur in intelligentias mouentes cęlos, & Deum, qui est causa totius Mũdi & omnium, communissima. Hic subsistendum puto in hac propositione, *Deus est mouens, Quo*, & non credo ita simpliciter hoc asserendum esse, sed potius dicendum Deum esse principium, & Mouens, *Quod*; Deduco ex hoc argumento. Esse mouens *Quo*, tri-

buitur parti formali subordinatæ suo toti, quæ pars formalis est ratio agendi alteri, Deus non est pars formalis, neq; ratio agendi alteri, sed per se principaliter agens. ergo Deus non potest dici Mouens siue agens; *Quo*; Maior propositio probatur ex ARISTOT. 1. de Anima 64. & 66. vbi animæ quæ est forma non tribuitur agere; sed esse id, quo agit homo, siue esse rationem agendi habenti animam; 3. etiam de anima t. 1. dicens ARISTOTELES se acturum *de parte animæ*, & consideraturum mentem humanam *vt particulam animæ* statim tribuit animæ intelligere per hanc mentem, & dicit, *qua anima cognoscit & sapit*, atq; idem repetit in t. 5. lib. 3. de anima & indicat in hoc modo loquendi parti formali conuenire esse id, *Quo*, aliud agit, quocirca THEMISTIVS in expos. illius t. 1. per animam intelligebat hominem: *de parte, inquit, animæ qua, vtimur quando aliquid contemplamur, & consultamus*; ideo sæpe numero philosophi tribuunt speciei intelligibili esse id, *Quo*, intelligimus. S. THOM. 1. p. q. 85. ar. 2. in corpore *dicendum, inquit, quod species intelligibilis se habet ad intellectum vt, Quo, intelligit intellectus*. Hinc fit vt Sacri Theologi diuinæ essentiæ quatenus est concepta per modum formæ in Deo, & in diuinis personis attribuant esse, *Quo* personis esse *Quod*. S. TH. in 1. p. q. 41. art. 4. *potentia inquit generandi significat id, Quo generans generat omne enim generans generat aliquo*; hanc vero potentiam, cui tribuit esse principium, *Quo*, declarat esse essentiam diuinam sic dicendo in art. 5. eiusdem quæst. 41. *Natura Diuina in Patre est potentia generandi*: & paulo post *potentia generandi principaliter significat diuinam essentiam*: & paulo post id, *Quo, Pater generat est Natura diuina*, & tandem concludit illum artic. cum sententia Damasceni *generatio est opus Naturæ non sicut generantis, sed sicut eius Quo, generans generat*. Alibi idem S. TH. docet esse principium Quo, conuenire parti venienti in compositionem alterius, toti autem composito conuenire per se primo agere, vt in 1. p. q. 3. ar. 8.

ar.8.per hæc credo satis probatam esse maiorem mei arg. vide ALEX. Alensem 5.Met. expositione t. 15.& ZIMARAM 4.phys.cõtrad.6. Minor propositio probatur; quia Deus est agens Primarium in virtute propria, & cui subordinãtur omnia alia agentia ipsum vero alteri non subordinatur, vt aperte docet ARISTOTELES lib.8.phys.t.33.S.TH.lib.3.contra Gent.cap.67.& 1.par.q.105.ar.5.hoc ita luculenter probat, vt non relinquat occasionem dubitandi. Tertio item contra Gent.cap.149.dicit animam nostram operari sub Deo sicut agens instrumentale operatur sub principali agente, sed principale agens non dicitur agens, *Quo*, respectu instrumenti sed agens *Quod*, instrumentum autem est, *Quo*, agens agit; videri etiam potest de hac materia idẽ S.TH.3. de Potentia ar.7.in solut. 3.argum. vbi Naturæ operationem vocat operationem instrumenti respectu operationis diuinæ, & in 3. de malo ar.3.tribuit Deo mouere volũtatem tanquam ei *Quod*, operatur interius vt causa prima, Idem S.TH. obseruat in expos. propositionis 21.in libello de causis: causam primam esse simplicem per se sufficientem, ideo non habere habitudinem neq; partis neq; formæ, propterea non debet dici agens, *Quo*. Verum fortasse posset ad bonum sensum adduci hic modus loquendi obseruando doctrinam D. TH. in 3.de anima lect.7.Mouens, *Quo*, dupliciter potest intelligi formaliter, & effectiue, esse *quo* formaliter dicit imperfectionem formæ, & partis, ita vt tale *quo* non possit separari ab eo quod per ipsum operatur, ita non conuenit Deo esse mouens, *quo*; respectu alicuius, mouens autem, *Quo*, effectiue idem est ac esse id cuius virtute alia agunt; exemplum addit S.TH. quod etiam attulerat in 1.par.q.36.ar.3.minister dicitur agere per Regem, siue Rege, quia agit virtute regis sibi communicata; sic omnia creata possunt dici agere *Deo* idest virtute Dei à se participata. Hæc distinctio videlicet formaliter, & effectiue diligenter est adnotanda pro dicendis in sequentib. cap. 10. n.17.Quomodo vere omnia dicuntur agere in virtute Dei, &

per consequens Deo, vel per Deum effectiue, declarat optime S.THOM.3.contra Gent.cap.66.

CAPVT TERTIVM.

1 IN Pagina decimaoctaua dum assignantur differentiæ Naturæ & ea, quibus hoc nomen potissimum attribuitur dicitur *materiam esse Naturam*; quæ propositio, sicuti est vera, ita non sine distinctione admittenda est; distinctio autem ponitur à ZABARELLA lib.de Natura cap. 7.esse Naturam duobus modis potest intelligi indeterminate, & determinate, materia secundum se tantum indeterminate est Natura, sed sub forma sicuti actuatur materia ita etiam fit natura determinate, iuxta decreta ab ARISTOTELE in 5. *Meta*. t. 5. & quia hanc rem doctissime prosequutus est Iacobus ZABARELL. citato loco, & ad nostram rem minus confert; ideo alia non addam.

2. In Pagina decimanona, & vigesima asseritur formam in rebus inanimatis esse tantum *principium passiuum* motus, vt propterea elementa in sua loca naturalia non moueantur actiue à propria forma tanquam à principio intrinseco. Vere ista quæstio non est principaliter conferens ad propositum nostræ disputationis, & scio opinionem Excellentiss. Collegæ pluribus visam esse probabilem, nihilominus ego semper inclinaui in alteram sententiam, quod videlicet forma substantialis in elementis sit intrinsecum actiuum motus naturalis eorum. Non desunt textus Aristotelici & Peripateticorum auctoritates, quæ hoc firmant, & docent, etenim SIMPLIC. 2. physic. Com. 1. *quæcunq; inquit, grauitatem habent ad supremum locum vel in obliquum ab altero mouentur. Deorsum autem, à se ipsis, ignis quoq; deorsum cietur ab altero: sursum autem per se.* Extat de hac re pulcherrima doctr. AVERR. lib. 3. de Cęlo. Com. 28. ex qua colligitur elementum, vt est actu leue vel graue moue-

re,

re, quatenus est potentia sursum, vel deorsum moueri, & propterea formam vt est forma mouere, vt est in materia moueri, quod etiam significauerat ARISTOTELES lib. 1. de gener. 55. vide AVERR. 1. de Cœlo c. 89. In 9. Meta. t. 18. loquens Aristoteles de elementis dixit *ea secundum se, & in se ipsis habere motum*, quem locum declarans D.TH. dicit *formas eorum esse principia talium motuum*. Quam doctrinam imitatus nobilis Thomista Petrus de ALVERNIA in 4. de Cęlo lect. 2. super t. 24. dicit *proximum mouens esse formam grauis & leuis*, & hoc etiam dixerat S. TH. 3. Contra Gent. cap. 67. & verendum enunciat sæpe ARISTOTELES vniuersaliter formam mouere, & agere, vt 3. phys. 17. & 2. de gen. 53. indicauit etiã officium esse harum formarum mouere elementa in sua loca. Cur .n. dixit in 4. de Cęl. t. 2. *grauitatem, & leuitatem esse suscitamenta quædam motus* nisi quia mouere possunt; & cur in 2. phys. t. 84. dixit *ea moueri naturaliter, quæ ab aliquo in se ipsis principio continue mota perueniunt ad aliquẽ finem*? vide PHILOPONVM 2. phy. initio. Vt concludam summatim, prout spectat ad negocium hoc meum, credo sententiam AVERR. esse veram quæ exprimitur in 2. phys. Comm. 1. & 3. de Cęlo. Com. 28. & inter recentiores declaratur luculentissime à doctissimo ZABARELLA lib. 1. de motu grauium & leuium cap. 11. & 12. Generans est mouens mediatũ ita intelligo 8. phys. t. 32. immediatum mouens forma, 4. de cęlo t.c. 24. Sed hæc relinquantur quia sunt præter nostrum institutum.

3. In eadem pagina decima nona asseritur. *formam substantialem rerum naturalium esse Naturam*. Hoc omnino concedendum est, dummodo intelligatur de forma informante, non autem extendatur ad formam assistentem, quia assistens forma non est Natura. De qua re videantur ea, quæ scripta sunt à me in sectione prima cap. 3. & cap. 12. & hoc diligenter adnotandum pro dicendis in sequentibus cap. 7. n. 5. vbi ex proposito defendendum erit formam assistẽtem non esse Naturã.

4 In pagina vigesimaprima asseritur Naturam proprie dici causam efficientem, quæ efficit res naturales, sicuti ars dicitur causa efficiens res artificiales. Hic non sine distinctione procedendum, & præ oculis habenda ea; quæ dicta sunt in sect. 1. cap. 4. & 5. quorum summa hæc est. Efficiens duplex est, Alterum intrinsecum cuius actio est in eo, in quo est, Alterum extrinsecum quod agit extra id, in quo est. Illud prius agit per actionem immanentem, vt vocant; Hoc posterius per actionem transeuntem; illud prius effieiens est Natura, atq; ita definitur ab Aristotele 2. phys. 3. & 5. Meta. t. 5. circa finem: Posterius efficiens non vocatur Natura, saltem reduplicatiue loquendo, quia, vt agit per actionem transeuntem in aliquid extra id in quo est non amplius Natura appellatur sed tantum causa naturalis; vt latè probaui sec. 1. cap. 5. Egregie quidem Iacobus ZABARELL. in expos. t. 3. lib. 2. phys. docet quamuis Natura possit agere ad extra vt quando ignis ex sua Natura calefacit lignum, tamen Aristotelem non voluisse definire naturam per actiones ad extra, quia agere ad extra non conuenit naturæ secundum quod ipsa est - erum etiam arti, & cęlestibus intelligentijs, quo circa ratio Naturæ non est constituta in hoc vt agat extrinsecus quamuis hoc illi possit conuenire: exemplo hoc illustrabo: Homini conuenit esse sensitiuum, sed quia non conuenit secundum quod ipsum, ideo ratio hominis non est constituta in sensitiuo, nec deffiniri potest homo per sensitiuum, nec valet consequentia, est sensitiuus ergo homo: ita agere ad extra non determinat nobis naturam, nec valet dicere agit ad extra. ergo est Natura. Nam vt bene notat ZAB. loco proxime citato, intelligentiæ quoq; agunt in Cęlos, & tamen non sunt Naturæ, sed hęc apparebunt melius in sequentibus considerando rationes, pro parte contraria, & diluendo.

5. In eadem Pagina vigesima prima afferuntur rationes ad probandum efficienti generaliter loquendo conuenire nomen

men Naturæ. Prima ratio est. Ars dicitur causa effectiua rerum artificialium. ergo Natura est causa effectiua rerum naturalium. Cui rationi respondeo negando consequentiam nam ars est actiua in materiam exteriorem, si loquamur per se, & colligitur ex 2. phys. t. 3. & 86. ideo .n. ars dicitur habitus effectiuus in exteriorem materiam 6. ethicor. cap. 4. Natura vero de sua formali ratione non est effectiua in materiã exteriorem, sed in id in quo est, quocirca si accipiatur efficiẽs intrinsecum tantum, concedo esse Naturam, si extendatur ad extrinsecum quale agens est simile arti nego tale agens esse Naturam. Quo ad hoc remitto lectorem ad sectionem primam cap. 2. 4. & 5.

Adducitur deinde in eadem pagina t. 1. lib. 2. phys. quasi ARISTOTELES loquatur de causa effectiua rerum naturalium quando dicit, *eorum quæ sunt alia quidem sunt Natura &c.* atq; hinc fiat, vt sufficiat ad hoc, vt sit Natura esse quomodocunq; causam efficientem rerum naturalium, & sæpe affertur hic tex. in cap. 4. ab excellentiss. Collega. Respõdeo illum t. non bene exponi de causa efficiente, sed vt obseruauit egregie Iacobus ZAB. in expos. illius t. 1. est sermo ibi de causa formali, non dicit .n. t. ille primus *eorum quæ sunt alia quidem sunt à natura*, sed dicit, *alia sunt Naturâ*, quasi dicat naturâ constantia, & quorum essentia est natura; cœlestia .n. corpora dicuntur naturâ esse, non quia habeant naturam efficientem causam secundum Aristotelem, nisi quodam modo improprio, & sicuti dicebat AVER. 4. de Cęl. Com. 1. *secundum similitudinem*; sed quia per essentiam suam Natura constant formaliter. Simili modo loquendi sæpe vsus est ARISTOTELES, vt 1. de Cęlo t. 1. *natura inquit constantium hæc quidem sunt corpora &c.* & clarius lib. 5. Meta. t. 5. *ibi Naturâ igitur quod ex ambobus his est, vt animalia & partes ipsorum* vbi natura accipitur in casu ablatiuo, ita vt sit sensus exponente S. TH. ibidem *secundum naturam*. Quod si quis velit instare in t.

in t. 1.2.phys. accipi naturam pro causa efficiente rerum naturalium, quæ expositio placuit quibusdam grauibus auctoribus; illi respondendum est adhibitis duabus distinctionib. Altera est; esse Naturam causam effectiuam extrinsecam rerum naturalium dupliciter potest intelligi, vel *specificatiuè*, vel *reduplicatiuè*; concedo aliquando specificatiuè; nunquam tamen Reduplicatiuè; res .n. illa, quæ causat extrinsece aliquod naturale potest in se esse natura, vt quando anima, quæ est natura Patris generat filium, & hoc est esse *specificatiuè*, sed quia in hoc faciēdo non est Natura formaliter, cum agat in extrinsecum, ideo *reduplicatiuè* loquendo, siue *vt sic agendo*, non est Natura. Altera distinctio est aliud est esse naturam, aliud causam naturalem, generans aliquod extra se potest quidem esse causa naturalis, non autem de formali loquendo natura. Videantur scripta in sectione 1. cap. 5. Atque hæc sufficiant pro t. 1. 2. phys. & semper hæc intelligendà, vbicunque citatur hic textus.

6. In eadem Pagina vigesima prima adducitur t. 13. 2. phys. vbi videtur ARISTOTELES asserere ideo formam esse Naturam quia producit aliquid sibi simile tanquam causa effectiua, & producit extra se, ideo cognoscitur esse natura ex eo quia efficit aliquod naturale. Verum hic t. habet suam legitimam interpretationem est .n. argumentum illius t. vt vocant *ad hominem*, contra Antiphontem cuius meminerat in 2. phys. t. 7. erat argumentum Antiphontis huiusmodi. Omne quod generat sibi simile est Naturâ, materia generat sibi simile ergo materia est natura, arguit ARISTOTELES in t. 13. accipiendo maiorem ab aduersario, & subsumendo minorem propriam, scimus .n. dialecticum ita solere argumentari accipiendo ab aduersario tanquam *cognoscente, & concedente* 1. post. t. 1. argumentum itaq; illius t. 13. est hoc; omne quod generat sibi simile est natura, forma generat sibi simile, ergo forma est Natura, maior non est Aristotelis, sed

est

est Antiphontis. SIMPLIC. manifeste hoc approbauit in 2. phys. Com. 9. & inter recentiores considerauit egregie Pater Auersa in q. 9. sect. 5.

7. In eadem Pagina afferuntur vulgatæ illæ propositiones, quibus natura dicitur esse causa efficiens, nempe *natura nihil facit frustra* pri. de Cæl. 32. *de possibilibus facit quod melius est, natura agit propter finem*; & consimiles enunciationes; ad quas omnes vnica sufficit responsio. ARISTOTELEM accipere naturam pro causis naturalibus, quæ causæ naturales aliquando habent in se naturam *specificatiue*, quãdo videlicet, & mouent, & mouentur, iuxta t. 73. 2. phys. sed *reduplicatiue*, dum sic agunt non sunt naturæ, sed causæ naturales, vt dixi sec. 1. cap. 5. aliquando vero neq; etiam sunt naturæ *specificatiue*, sicuti est Deus, & intelligentiæ. Dicetis quomodo Deus non est Natura, sed causa est naturalis? Resp. quia agit iuxta exigentiam, & aptitudinem rerũ; quod si ageret supra naturalem rerum aptitudinem appellaretur causa supranaturalis. Videndus de hoc Pater Auersa citata q. 9. sect. 5.

8. In Pagina vigesima secunda ad idem probandum citatur T. 5. lib. 5. met. vbi dicitur *principium vnde motus siue effectiuum esse naturam*; sed aperte constat ibi ARISTOTELEM non loqui de principio effectiuo extra id in quo est, sed de effectiuo, in eo, in quo est, & propterea appellari naturam: consulamus illius loci expositores, qui intelligunt illa verba ARISTOTELIS de efficiente intrinseco, & dicunt ARISTOTELEM ibi significasse illud idem quod dixerat in 2. phy. t. 3. ALBERT. 5. met. tract. pri. cap. 5. explicat de motore intrinseco *sicut, inquit in animatis primum motum dicimus esse motum nutrimenti, & principiũ huius motus intrinsecum esse naturam nutriti*. ALEX. Aphrodisæus in illo 5. met. Com. 9. dicit hoc principium vnde motus esse formã naturalem, & tandem concludit ARISTOTELEM inter-

pretandum iuxta definitionem naturæ habitam lib. 2. phſy. Idem etiam teſtatur D. THOM. in 5. met. lect. 5. dum declarat 3. acceptionem naturæ, & ALEX. de Ales in illo eodem loco pariter idem docet, refert enim hæc omnia in dicta in 2. phyſ. t. 3. vbi manifeſtum eſt loqui ARISTOTELEM de motore intrinſeco. Et vere non poterat ibi ARISTOTELES de alio efficiente loqui, cum in fine illius capitis de Natura concludat his verbis: *ex dictis itaq; prima, & quæ proprie dicitur natura eſt ſubſtantia eorum, quæ in ſe ipſis vt ipſa ſunt motus principium habent.*

9. In eadem Pagina vigeſima ſecunda nimis generaliter concluditur omnem cauſam efficientem rerum naturalium eſſe Naturam; debet concludi particulariter aliquod efficiẽs eſſe naturam, nimirum efficiens intrinſecum, quod agit, & facit motum in eo ſuppoſito, in quo reperitur.

10. In eadem pagina vigeſima ſecunda aſſeritur cauſam finalem, etiã eſſe Naturam. In qua re pariter cum diſtinctione procedendum, etenim verum eſt aliquem finem eſſe Naturã, ſed falſum eſt omnẽ finem rerum naturalium eſſe naturã. Illa prior propoſitio particularis eſt ARIST. pluribus in locis, vt 2. phyſ. 23. 70. 74. 5. met. t. 5. in illis verbis, *& forma & ſubſtãtia hec enim generationis finis*, & eodẽ 5. met. t. 29. ibi *finis nãq; eſt forma*, & in 2. de aĩa. t. 37. & paſſim hoc reperimus apud ARIS. Quod vero poſterior propoſitio vniuerſalis ſit falſa probatur hoc argumẽto. Finis, de quo dicimus eſſe naturã eſt forma informãs, & terminus generationis; nõ omnis finis eſt forma, & terminus generationis, ergo non omnis finis eſt ille finis quẽ dicimus eſſe naturam. Maior propoſitio probatur ex dictis, nã ARIST. in locis citatis dicit naturam, quæ eſt forma, & terminus generationis eſſe finem, vt patet in 2. phyſ. citato 23. & in eodem 2. phyſ. t. 14. vbi generatio appellatur natura à forma, ad quam terminatur, terminatur autem ad formam informantem. S. THOM. hoc aperte docet in 2. phyſ. lect.

4. illis verbis: *natura quæ est forma, est finis materiæ.* Idem S. THO. in 2. phys. lect. 11. in expositione t. 74. hoc manifeste docuit; in summa natura eatenus dicitur finis quatenus est forma, & non aliter, quo circa materia, est quidem natura saltem suo modo, & tamen non est finis, sed ad finem, id est ad formam. Minor propositio probatur auctoritate D. TH. 2. phy. lect. 11. in expositione t. 70. his verbis *nec iterum omnis finis est forma & propter hoc apposuit multoties.* PETRVS de ALVERNIA in 4. de Cælo lect. 2. in expositione t. 23. agnoscit pro fine non solum formam, sed etiam operationem formæ, imo, & locum, in quem tendunt naturaliter grauia, & leuia, constat vero neq; operationem, neq; locum esse formã, & propterea nec esse Naturam. Huc etiam adducenda est distinctio celebris ARISTOTELICA duplicis finis de qua etiam infra n. 25. alter enim dicitur finis, *cuius*, Alter, *cui*, finis cuius idest cuius gratia est generatio siue quo aduemiente cessat generatio est forma; sed finis, cui, nõ est forma, sed potius illud, in cuius beneficiũ generatur forma; de hoc videndi sũt expositores in 2. phys. t. 24. & in 2. de anima 35. & 37. AVERR. in 2. de anima citato Com. 37. dicit animam esse finem cuius, idest cuius gratia fit generatio, sed finem cui esse animatum, & ideo finem cui non esse formam. Idem AVER. adducit aliam distinctionem finis, ex qua etiam habetur non omnem finem esse formam, nam in 2. phys. Com. 24. & 70. dicit duplicem esse finem, videlicet *finem generationis*, & *finem rei genitæ*, finis generationis est forma, sed finis rei genitæ nõ est forma; Videndus de hac re EGIDIVS 2. phys. in expositione t. 70. dubit. 2. & D. THOMAS 2. phys. lec. 11. lege etiam Auersam qu. 9. sec. 4. Habemus itaque minorem claram non omnem finem esse formam ideo nec naturam.

11. Aduertendum vltimo loco est vnum quod maxime conferet in sequentibus proposito nostro quando loquemur de Deo tanquam de fine infra cap. 9. S. THOM. in 3. contra

Gent. cap. 18. distinguit duplicem finem; Alter, inquit, est finis, *quem agens sua actione constituit; Alter, qui acquiritur per actionem, non autem constituitur*. Prioris finis exēplum est sanitas, quę à Medico efficitur; Posterioris finis exemplū est Deus, qui acquiritur tantum, & non constituitur per actiones nostras; hanc eandem doctrinam parum mutatis verbis tradit ALEX. de Ales 3. met. super t. 3. in illa q. *vtrum omnis finis sit acquisitus per actum*, vbi concludit primam causam esse finem totius, & non acquiri per actum, idest non fieri, nō constitui per actum, quia est prior etiam in essendo; terminat actum, non fit per actum. Ille finis, qui dicitur natura constituitur, innouatur, & generatur per actum, quia est finis generationis. Deus autem non est huiusmodi, neq, est talis finis, qui est forma, & natura. Ad hoc idem obseruandam puto doctrinam eiusdem S. THO 12. Met. lect. 7. & prima parte q. 103. a 2. vbi Deū ait esse finem extrinsecum toti vniuerso, & per consequens non esse neq; formam, neq; naturā, natura enim, & forma intrinsece se habent, & in eodem a 2. ad 3. melius declarat hoc S. TH. dicens mundum habere duplicem finem, alterum quidem internum in ipso existentem, & hic *finis est ordo, qui est forma mundi*, alter finis est superior habens rationem vltimi, atq; hic est finis extrinsecus, sicuti est Dux respectu ordinis exercitus ex 12. m. 52. Constat itaq; ex dictis non omnem finem esse formam, quæ erat minor propositio allata. Non bene igitur concluditur pagina vigesima tertia generaliter dicendo, *finis igitur naturalium rerum est vere proprieque Natura*, sed oportet concludere *aliquem finem esse naturam*, illum videlicet, qui est forma, & terminus generationis, & finis gratia cuius est generatio; finis enim, *cui*, communiter loquendo est potius quid *naturale quam natura*. Et per has distinctiones patet tex. allatos in pagina vigesima secunda, & vigesima tertia non probare de omni fine quod sit Natura, sed tantum de forma informante, & termino genera-

nerationis, cuius gratia est generatio, & quo veniente cesſat generatio.
Quatenus vero t. 14. 2. phyſ. in pagina vigeſima ſecunda extenditur ad compoſitum naturale, quod eſt terminus generationis vt inde probetur *compoſitum eſſe Naturam*. Reſpondetur iuxta ſupradicta ex Doctrina AVERR. in 2. de anima Com. 37. compoſitum eſſe finem, *Cui*, non *Cuius*, & propterea non eſſe Naturam, ſed naturale, quia forma producitur vt natura conſtitutiua compoſiti naturalis, *cui* dicitur fieri ſcilicet *eius commodo, & vtilitati*.

12. In Pagina vigeſima tertia aſſignatur quinta ſignificatio naturæ pro ſubſtantia compoſita. In hac re obſeruandũ diligentiſſime eſt ſubſtantiam compoſitam duplicem eſſe Alteram appellari *eſſentiam*, alteram vero *ſuppoſitum eſsentię* prior eſt vt humanitas, poſterior homo, ſiue humanitas, & SOCR. ſunt ambo compoſita, etiam eſſentia, pp. q. 76. art. 1. ſed humanitas eſt eſſentia includens prædicata quidditatiua, quę ſpectant ad definitionem, ſed SOCRATES ſubſiſtens in humanitate appellatur ſuppoſitum humanitatis. Eſſentia appellari ſolet *forma totius, & natura*, ſaltẽ aliquo modo, ſuppoſitum vero non eſt natura. ſed naturale in natura ſubſiſtẽs. Doctrina hęc communiter recepta, eſt S. THOM. prima parte q. 3. a 3. 5. met. lect. 10. in fine, prima parte q. 29. ar. 2. De ente, & eſſentia cap. 2. & 5. met. lect. 5. non longe à fine. concedit S. THOM. formam totius, ſiue eſſentiam, quæ apud ipſum eſt aliquid compoſitum, eſſe Naturam. Idem quoque concedit ALEX. APHRODISÆVS in 5. met. Com. 9. dum exponit quintam ſignificationem Naturæ vt obſeruauit etiam SVESSANVS, in eodem 5. met. expoſ. t. 5. Huius eſſentiæ, quæ etiam appellatur forma totius, & Natura habemus pulcherrimum exemplum in AVERR. primo de Cœlo Com. 92. vbi appellat *cœlitatem* naturam ipſius Cęli, ſicuti nos appellamus humanitatem naturam ipſius hominis

nis. His positis dico nomen Naturæ conuenire posse essentię rerum compositarum, quę ipsa quoque est composita, sed non conuenire supposito quod subsistit in hac essentia, quo circa dum video concludi in hac pagina 23. & 24. & 25. animalia, plantas, & reliqua huiusmodi composita [esse naturas, aperte nego; sed dico hęc esse naturalia, & eorum essentias esse Naturas.

13. In eadem Pagina 23. affertur t. 11. 2. phys. ad probandum substantiam compositam, quę naturalis dicitur, esse naturam; sed ego adherendo SIMPLICIO [sic explico t. illũ vt tantum dicam formam esse naturam, compositum vero esse naturale. *Vt ars dicitur quod secundum Artem & artificiale, sic & Natura quod secundum naturam, & quod naturale*, sed ars dicitur forma rei artificialis, secundum quam illud est artificiale, & ad artem spectat, ergo & natura erit forma secundum quam est quid naturale, & secundum naturam: maior est ibi ARISTOTELIS minor propositio ponitur a SIMPL. Com. suo 8. 2. phys. in expos. illius t. 11. *Solemus, inquit, dicere miram artem esse statuę formam; ita mirabilem dicimus ligni naturam secundum formam eius*. Et paulo post in eodem Com. 8. *ars est in specie, & forma, quia æs non est ars statuæ sed forma*; ex quo sic arguo: Vt ars ad artificiale, ita natura ad naturale, sed ars est forma, & species rei artificialis, ergo natura erit forma, & species rei naturalis; sicut enim artificiale integre acceptum non est ars, nisi ratione formæ, ita naturale integre acceptum vt compositum non est natura nisi ratione formæ], quia illud est ars in artificiali, quod facit esse actu artificiale nõ quod facit esse potentia, & hęc est forma; ita illud erit natura, quod facit esse naturale actu, non quod facit esse potentia, huiusmodi autem est sola forma. Ita discurrendo cum SIMPLICIO ille t. 11. probat tantum formam esse naturã, & compositum esse naturale vide ALEX. 1. de Anima cap. 2. Ad vberiorem huius rei explicationem iuvat adducere ex-

positiones

positiones plures grauissimorum expositorum, ex quibus idē apertissime colligitur, videlicet in t. 11. 2. phys. non dicere ARISTOTELEM, compositum esse naturam, sed naturale propter formam quę est eius natura. PHILOP. in expositione illius t. sic loquitur; *in artificialibus tunc vnum quodq; dicitur habere suam artem quando accipit suam formam artificialem sic etiam in naturalibus tunc vnumquodq; habet, suam naturam quando accepit suam formam.* Clarius THEMISTIVS ibidem *quemadmodum arte factorum ars est forma, ita & naturalium, forma est natura.* AVERR. in Com. illo 11. 2. phys. *quemadmodum quidditas artificij est in arte, similiter quidditas naturati est in natura*; & postea prosequens explicationem indicat formam esse in re artificiali quidditatem secundum quam aliquid est in genere artificialis, & in re naturali formā esse naturam secundum quam actu aliquid dicitur naturale Omnes itaque graues expositores cōcordant in hoc vt dicāt, sicuti artificiale vocatur ars, ita naturale vocari naturam, sed in artificiali forma dicitur ars, ergo in naturali forma dicitur natura; aut sic possumus interpretari; sicuti ars ad artificiale, ita natura ad naturale, sed artificiale habet artē ratione formæ secundū quam est actu artificiale erg. naturale habet naturam secundum formam à qua fit actu naturale. Concludo itaq; ex illo t. 11. non posse elici hanc propositionem *compositum est natura*, simpliciter loquendo, sed quod naturale dicitur natura ratione suę formę, quę forma est vera natura, & constituit naturale in esse naturalis. Videndus etiā PICCOLOMINEVS expositione illius T. xi.

14. In eadem Pagina 23. adducitur t. 5. lib. 5. meth. in quo primo sunt ponderanda illa verba: *naturâ igitur, quod ex ambobus his est, vt animalia, & partes eorum*: videtur hic ARISTOTELES enunciare animalia esse naturas. Sed Respondetur vna cum S. TH. lect. 5. in 5. meth. ibi illam vocem, *Naturâ*, accipi in casu obliquo, idest in ablatiuo, & sen-

sum

ſum eſſe *ſecundum naturam* eſſe animalia, & partes ipſorum ſiue *natura conſiſtentia*; quod idem eſt ac dicere naturalia; idẽ Alenſis ibidem. ALEX. in illo 5. met. com. ſuo 9. ſic loquitur de hac re: *porro totum concretum potius Naturâ conſiſtere dici poteſt quam eſſe Naturam*; concordat ARISTOTELES, lib. 2. phyſ. t. 12. illis verbis *quod autem eſt ex his natura quidem non eſt, ſed à natura, vt homo* hæc verba poterunt nobis interpretari id quod habetur in 5. met. citato t. 5. nunquam enim ARISTOTELES vult compoſitas ſubſtantias eſſe naturas, ſed à natura, & naturales.

15. Ex eodem t. 5. met. in eadem pag. 23. aliud argumẽtum deducitur ad probandum compoſitum naturale eſſe naturam; materia ſecunda eſt natura, materia ſecunda eſt ſubſtantia compoſita, ergo aliqua ſubſtantia compoſita eſt natura. Minor eſt manifeſta, maior eſt ARISTOTELIS in illo t. dicit *enim aquam eſſe materiam liquabilium*, & hoc modo eſſe naturam, enunciat enim nomen naturæ tam de materia prima communiſſima, quam de materia proxima, quæ eſt ſecunda, & compoſita.

Reſpond. tamen ex doctrina ALEX. de Ales in eodem 5. met. in expoſitione illorum verborum Materiam ſecundam appellari naturam *non ſimpliciter, & abſolute, ſed per quandam analogiam*, videlicet per attributionem ad formam, quam reſpicit: quocirca aqua verb. grat. ſimpliciter loquendo, & in ſe eſt corpus naturale, ſed per attributionem ad formam mixti quam poteſt recipere appellatur materia, & natura non cuiuſcunque ſed mixti, ſicuti etiam æs in ſe eſt aliquod naturale tamen reſpectu operum æneorum eſt materia, & natura, quod eſt dicere, non eſſe nec materiam nec naturam ſimpliciter, ſed per quandam analogiam. Conſtat enim ex ARISTOTELE primo de generatione t. 24. materiam propriè dici materiam primam, quæ eſt ens in potentia, & ſubiectum generationis ſubſtantialis, ens autem actuale, quod eſt ſubie-

ctum aliorum motuum dici materiam modo aliquo, idest nō ita proprie sed secundum quandam proportionem, & similitudinem, atq; hinc fit, vt materia proxima non sit ita proprie materia, sicuti materia prima, neq: ita proprie natura, simpliciter loquendo est naturalis, non natura.

16. In eadem Pag. 23. ponderatur idem t. 5. lib. 5. meta. in illis verbis *et forma & substantia, hęc autem est generationis finis* & explicantur hęc verba quod per substantiam intelligatur cōposita substantia, quę propterea dicatur esse natura: sed S. TH. in explicatione illorum uerborum optime respondet intelligendo per illa uerba formam partis, & formam totius, vt si dicamus inquit S. TH. *quod hominis natura non solum est anima, sed humanitas & substantia, quam significat definitio*, quocirca hinc colligemus substantiam compositam, quę est natura esse *essentiam*, non autem *suppositum* essentię & hoc ētiā in superioribus concessum à me fuit hoc cap. num. 12.

17 In pag. 24. ad idem comprobandum adducitur t. ex p. de partibus animalium cap. 1. in quo tantum probatur naturā agere propter finem, idest nihil fieri casu à causis naturalibus, quod etiā latius ostensum est in 2. phys. à t. 77. vsque ad 86. tantum sunt quędam verba, quę videntur negocium facere, & sunt ista: *hęc enim natura, & proinde ex hoc enascuntur &c.* videtur enim his verbis significari animalia, plantas, & semen esse naturas, hæc autem omnia sunt composita: Verum illud verbum Naturâ, non debet accipi in casu recto, sed in obliquo, vt supra etiam obseruatum est & significatur illud idem quod in 5. meta. t. 5. in illis verbis; *naturâ igitur quod ex ambobus his est, ut animalia*, natura videlicet constant animalia, et partes eorum vt ibi docet S. TH. aliud enim est esse, naturâ aliud naturam, vt obseruauit etiam VICOM. in 2. phys. in expositione t. 1. animalia plantę, semen sunt natura, idest natura constant, non sunt naturę, sed naturalia & naturaliter. Simili modo loquendi vsus est ARIST. 2. phys. t. 1. quando

dixit *eorum quę sunt alia quidem sunt naturâ* non dixit, sunt naturę, sed natura constantia. Semen vero & in se est natura constans, quia est compositum naturale, & respectu animalium, & plantarum appellatur causa naturalis effectiua 2. phys. t. 31.

18 In eadem Pagina 24 adducitur argumẽtum ad probãdum substantiam compositam esse naturã; terminus generationis est natura, substantia composita est terminus generationis ergo substantia composita est natura. Cui argumẽto respondeo distinguendo maiorẽ; terminus enim generationis aut est natura, aut quid naturale, forma enim est natura, gratia cuius fit generatio, compositum autem cui, siue in beneficium cuius generatur forma, est naturale, non natura: & ad hoc necessarium est reminisci eorum quæ supra diximus hoc cap. n. 10. cum AVER. in 2. de Anima Com. 37. de fine, *Cuius* & de fine, *Cui*; Compositum itaque est naturam habens 2. phys. t. 4. non est natura, sed à natura 2. phy. 12. atq; ideo non omnis finis generationis est natura, quia generatur compositum primo phys. 64. & 7. met. 26. & 27. non tamen generatur, vt natura, sed vt habens naturam siue naturale.

19. In eadem Pagina 24. adducitur t. 6. 2. phys. vbi ARISTOTELES dicit, non esse tentandum demonstrare naturam esse quia aperte constat, entia multa reperiri, quæ habẽt in se principium motus, ideo hęc entia ARISTOTELES vult esse naturas. Sed respondetur facile, ARISTOTELIS argumentum esse, *à naturali ad naturam*. Non est tentandũ demonstrare naturam esse, nec magnus conatus in hoc adhibendus, quia ex naturalibus facile inuestigamus, imo videmus naturam esse, naturalia enim multa sunt, sed naturalia habent naturam, ergo constat naturam esse.

THEMIS. super illum t. 6. sic expressit vim argumenti à naturali ad naturam *ridiculum est conari demonstrare naturam esse, cum manifestum sit pleraq; esse naturâ, & per naturam*, sed

illa

illa quæ sunt naturâ, & per naturam, sunt naturalia ergo à naturalibus compositis notificamus naturam esse. Clarius S.TH. 2. phys. lectione prima circa finem, sic facit argumentum *manifestum est secundum sensum quod multa sunt a natura quæ habent principium sui motus in se*, ista vero sunt naturalia, argumento 2. phys. t. 4. Ita etiam exponit AVERR. 2. phys. com. 6. & omnes pariter concordant : quocirca ex illo t. 6. non deducitur compositum esse naturam, sed ex composito naturali deduci per certam notificationem esse naturam, argumentando à posteriori à naturali ad naturam, methodo resolutiua, iuxta regulam traditam ab eodem ARISTOTELE lib. 1. phys. t. 3. 2. de An. t. 12. 7. Metaph. 10. Si sunt entia naturalia, ergo est natura : constat esse naturalia, ergo, & naturam.

20. Pagina 25. asseritur posse dici, generans esse principium motus in eo, in quo est, etiamsi non attendatur vnitas numerica, sed tantum vnitas specifica. In hoc credo sit breuiter procedendum esse; Generans, quādo producit aliquid eiusdē speciei sentio nō posse dici *naturā, sed tantū causam naturalem*, vt quando SOPHRONISCVS ver. gr. generat SOCRATEM, natura enim si proprie accipiatur, debet agere in eo in quo est, inspecta vnitate numerica, & non sufficit vnitas specifica, quocirca forma ignis tantum dicitur natura quando mouet illū ignem numero, in quo est, quando vero generat alium ignem distinctum numero, & eiusdem speciei, non dicitur natura sed causa naturalis. Hoc probo manifeste ex ponderatione multorum textuum. ARISTOT. in 5. met. t. 5. sic exprimit nobis naturam, & eius efficientiam *natura est substantia eorum quæ in se ipsis, vt ipsa sunt* (nota vnitatem numericā) *motus principium habent*: sic semper loquutus est ARIRIST. vt in 2. phys. 84. *natura sunt quecunque ab aliquo in se ipsis principio continue mota perueniunt ad aliquem finem* 1. Rhet. cap. 10. 4. de Cælo 24. In eodem 2. phys. t. 86. dicit na-

turam esse similem medico, qui medetur sibi ipsi, ita vt idem numero sit qui medetur, & cui adhibetur medela. In 9. met. t. 13. *natura in eodem fit; in eodem enim genere cum ipsa potentia; non tamen in alio, sed in ipso prout ipsum est*, semper videmus indicare vnitatem numericam principij mouentis, & eius quod ab illo mouetur; in primo etiam de Cęlo t. 5. 6. met. t. p. sic loquutus est ARIST. assignans rationem naturæ; sed quando significat vnitatem specificam cum distinctione numerica, non sic loquitur ARIST., & ad hoc ostendendum adduco t. 35. 2. de anima vbi loquitur de generatione indiuiduorum propter speciei conseruationem, in quibus non est vnitas numerica, sed specifica, & dicit; *permanet non ipsum, sed quale ipsum, numero quidem non vnum, sed specie vnum*, ex quo sic arguo. Quando est vnitas specifica cum distinctione numerica, nõ est ipsum simpliciter, sed quale ipsum 2. de ani. 35. in actione naturę debet esse ipsum simpliciter vt ipsum nõ quale ipsum: 5. met. t. 5. cum alijs locis citatis, ergo in actione naturæ non sufficit esse vnitatem specificam, sed requiritur vnitas numerica, vt propterea dicamus naturalia *in se ipsis, vt ipsa sunt motus principium habere*. Ad idem melius confirmãdum accipio doctrinam ALEX. 12. met. Com. 7. in expositione t. 13. *natura inquit principium quod in eo quod fit habetur*. Sed principium quod generat aliud distinctum numero à generante non est in eo quod fit, sed in efficiente tantum ergo huiusmodi principium generans, & producens non potest esse natura. Minor propositio probatur adducendo. t. 47. lib. 2. de an. illis verbis, & *generationis quoque factiuum est non eius, quod alitur, sed talis quale id quod alitur, iam enim est ipsa substantia; generat autem nihil ipsum seipsum*; Hic apparet principium quod generat non esse in genito, sed in generante, at natura, est principium in ęo quod fit, in ęo quod mouetur, vt probaui cum ALEX. Affero etiam doctrinam ALBERTI 5. met. tractatu primo cap. 5. vbi declarat, quale

le principium effectiuum sit natura, & dicit *esse principium intrinsecum*, & declarat exemplo motus nutrimenti, quia virtus nutritiua, nutrit id, in quo est, vt ARISTOTELES docuit in 2. de an. citat. 47. in primis verbis, & primo lib. de generat. t. 34. ibi *sed alterans, & principium motus in eo, quod augmentatur, & alteratur in his enim mouens*; sed non ero lõgior in hac re, quia satis de hoc disputatum fuit a me in sectione pr. cap. 4. quocirca illuc remitto eruditum lectorem.

21. In eadem Pag. 25. asseritur generans constituere res naturales, quas producit, & propterea posse appellari naturam. Hic dicendum est, constituere duobus modis accipi posse *Primo formaliter 2. effectiue*; Natura constituit formaliter, generans autem effectiue, ideo laboramus in æquivoco; Quod natura debeat cõstituere formaliter probatur, quia est essentia, & forma dans esse formaliter, & sicut notat SIMPLICIVS 2. phys. Com. 25. secundum ALEXANDRVM *Natura proprie non est efficiens causa, sed formalis*. PENDASIVS egregie in 2 phys. parte 7. excludit à ratione naturæ efficientem causam, & contrahit tantum ad formam, cuius est constituere formaliter. In hac re oportet meminisse doctrinę S. THOM. parte pri. q. 51. a. 1. ad 3. dupliciter intelligi quod aliquid viuificet *formaliter, & effectiue*, & quod vivificare formaliter conuenit substantiæ, quæ est pars, & natura, qualis est forma, cum ergo generans constituat tantum effectiue nõ sequetur vnquam esse naturam. Videnda, quæ a me scripta sunt sectione prima cap. 10., & 12.

22. In Pag. 26. dicitur quod generatio est constitutio rei, quę generatur; Ego dico hanc propositionem non posse intelligi *formaliter, sed causaliter*, quia generatio non constituit per se, sed per formam, quam producit, constituere enim spectat ad principium formale intrinsecum, quod per generationem producitur. Generatio est causalitas agẽtis producentis formam constitutivam, dicere ergo generatio est constitutio,

siue

ſive generatio conſtituit eſt idem ac dicere interpoſitio terræ eſt eclipſis, facit ſenſum *cauſalem*, & ad hoc lubet animaduertere t. 55. lib. 2. de generatione; *latio inquit*, *ARIST*. *facit generationem inceſſanter, quia adducit, & abducit generatiuũ*; ſic ego dicam generatio conſtituit, quia adducit formam cõſtitutiuam. Legantur ſcripta ſec. prima cap. 12.

23. In eadem Pag. 26. aſſeritur finem ideo eſſe naturam, quia eſt primum mouẽs, & principatum obtinet cauſarum in rerum generatione promouenda. Ego hic dico quamvis finis poſſit appellari prima cauſa, nõ propterea ſequi, vt ſit natura. Obſeruat hoc egregie Pendaſius in 2. phyſ. parte 7. quia finis nõ mouet vt natura, eſt cauſa extrinſeca, movet quando eſt abſens, movet metaphorice; non vere effectiue ſicuti mouere debet cauſa phyſica. Hanc eandẽ doctrinã amplectitur hic ipſe præſtantiſſimus Collega pagina 87. ſic dicẽs, *finis non mouet agentia phyſico motu, ſed metaphorico*, & paulo poſt, *mouens efficienter, ac phyſice debet* eſſe *actu nam omne agens phyſice agit quatenus eſt actu præſens, at finis movet, vt abſens; quare phyſice non mouet*. Ex quibus ſic arguo, natura movet phyſice, finis non mouet phyſice ex conceſſis, ergo finis non eſt natura quomodolibet ſit cauſa, principatum obtinens.

24. In eadem Pagina 26. Aſſeritur generationem eſſe motum ſecundum mentem ARISTOTELIS, & citatur ad hoc t. 6. lib. 3. phyſ. Hoc non credo ita ſimpliciter, & indiſtincte admittendum eſſe, etenim ſcio ARIS. negaſſe generationem eſſe proprie motum, & voluit appellari ſolum mutationem, quamvis enim in tertio phyſ. definiens motum in genere non diſtinxerit motum à mutatione, imo nec etiam in 4. phyſ., vt indicat t. 97. lib. 4. phyſ. tamen in lib. 5. præcipue in t. 8. apertiſſime ſuam opinionem declarat dicendo generationem non eſſe motum, & in eodem t. dicit neq; corruptionem eſſe motum quia contrariorum eſt eadem ratio, corruptio autem generationi eſt contraria, ideo ſicut generatio non eſt motus,

ita neque corruptio; propterea ARISTOTELES perseuerans in hoc eodem proposito asserit 5. phys. t. 10. *ad substantiam non esse motum* generatio autem est ad substantiam, ideo generatio non erit motus; Video etiam in eodem 5. phsy. t. 18. vbi enumerantur species motus nullam fieri mentionem de generatione: & in eodem 5. phys. t. 55. sic ait ARISTOTELES: *mutatio est opposita ea quae est ex ipso, ei quae est in ipsum, motus autem non est, vt ea quae est ex ente ei quae est in ens.*

Hic videmus designare ARISTOTELEM duas mutationes videlicet corruptionem quæ est ex ente, & generationem quæ est in ens, & negare has mutationes esse motus. Ab opposito etiam ducitur argumentum ex illo t. 55. motui opponitur quies, his mutationibus non opponitur quies ergo non sunt motus: quo circa sic ibi ait ARIST. *& quies quidem horum non est immutabilitas autem est.* Profitetur etiam ARIS. in 5. phys. t. 7. generationem, & corruptionem non esse inter terminos positiue contrarios, sed oppositos contradictorie, vel priuatiue, motus vero proprie dicti sunt inter terminos contrarios positiue. Concludam hanc considerationem cū ratione, quam affert ARIST. in 5. phys. t. 8. quod mouetur est, quod generatur non est, ergo quod generatur non mouetur, ergo generatio non est motus, quod ergo generatur fit; quod mouetur est antequam moueatur, saltem in priori naturæ. Fortasse dici posset hanc rationem optime concludere, comparando generationem cum substantia composita, quæ est illius terminus, non est enim motus illius compositi, quod per generationem fit, sed si comparetur cum materia prima, quæ est subiectum generationis, vt dicitur primo de gener. 24. poterit vtique generatio appellari motus ipsius materiæ, vt approbavit etiam CARD. Toletus lib. 5. phys. q. pr. Verum ista responsio non videtur mihi plene satisfacere, & contra illam sic arguo: si generatio esset motus respectu materiæ deberet denominare materiam mobilem tali motu, & ideo

generabilē, sed generatio non denominat sic materiam, sed potius terminum, idest substantiam compositam, uel formā ergo ut sic generatio non potest dici motus: hoc significauit ARIST. in citato t. 8. illis uerbis, *generationem motum esse impossibile est, generatur enim quod non est: nam et si quam maxime secundum accidens generatur, attamen est uerum dicere quod est id quod nō est, de eo quod generatur* quę verba explicās FRANCISCVS VICOMERCATVS: *quia inquit obiicere aliquis poterat, non ens simpliciter quod est ens sola potestate, nō per se generari, sed ex accidenti; propterea quod materia ex qua est generatio, per se sit ens; hoc ipsum admittit, inquiens, etiamsi res ita se habeat tamen de eo quod simpliciter generatur non ens uere affirmatur; ac si diceret, etiamsi materia sit ens per se, atque ex ea fiat generatio, ipsa tamen non est quę generari dicitur sed nō ens quod potestate est ens, non actu*; ex quibus sic arguo. Motus denominat subiectum quod mouetur, à generatione non denominatur subiectum, sed id quod fit per eā, idest terminus, ergo generatio, non potest vocari motus. vide AVER. 8. phys. c. 7. In summa si late, & improprie loquamur concedo generationem dici posse motum, si stricte, & proprie, nego esse motum; dico tantum esse mutationem, de non esse in esse, non materiæ, sed rei generabilis.

25. In eadem Pag 26. asseritur substantiam compositam esse naturam, quia est finis generatiouis. In hoc ego dico nō omnem finem generationis esse naturam, sed aliquem finem posse esse ens naturale, & non naturam, reassumo enim distinctionem finis, cuius memini supra hac eadem sect. cap. hoc tertio n. 10. finis est duplex alter *Cuius gratia*, Alter *Cui* cō cedo finem Cuius gratia est generatio esse naturam, sed nego de fine, Cui, dico enim hunc finem potius esse aliquid naturale, quam naturam; & præter allata ad hoc probandum n. 10. citato, adduco etiam hic doctrinam ALEX. & EVSTRATII in lib. 2. post. in expositione t. 53. *duplex*, inquit

ALEX.

ALEX. *est finis, hic quidem, Cuius, hic autem, Cui* declarat *finē Cuius, ut uidere oculi finis est, gratia Cuius oculi sūt constructi, sed finis, Cui est salus animalis. In artibus finis Cuius, est forma, sed finis Cui sunt homines, qui uti debent rebus artificialibus.* Dico ergo finem *Cui*, non esse naturam. Ad idē affero SIMPLICIVM 2.phy.cō. 17. *duplex*, inquit *finis est, alter ut id Cuius gratia est appetitus, quem scopū iuniores appellant, ceu sanitas quam Medicus intendit. Alter est in Quo, hic est & Cui aduenit, ceu sanus, nam hic est finis uelut is Cui, qui etiam nos sumus, nam finis medici est is, qui sanandus est &c.* Colligo ex his verbis finem gratia *Cuius*, esse formam, et propterea in rebus naturalibus naturam; finem *Cui* esse compositum cui forma inest & propterea naturale. Eandem etiam doctrinam lego apaud S. THOM. 2. de Anima lect. 7. cuius verba non proponam, habent enim eandem sententiam vel parum diuersam.

26. In eadem Pag. 26. adducitur argumentum ideo animalia esse naturas, quia mouent se ipsa, & sunt principium motus sibi ipsis. Hic obseruo distinctionem ex qua fiet, vt cognoscamus animalia esse naturalia, non naturas. Mouens enim duplex est vt dixi cap. 2. n. 3. alterū vt *Quod*, alterum, vt *Quo*, animal mouet se ipsum vt mouens Quod; natura est mouens, vt Quo, ideo animal non potest dici natura. Probo hæc, quæ assumpsi. AVERR. in 2. phys. Com. 3. sic loquitur de natura, & de naturalibus. *Naturalia sunt illa, quæ habent principium, quo mouentur, & quiescunt ex se, & per se; & natura est illa, qua mouētur, & quiescunt* ideo concludit dicens: *necesse est vt natura sit principiū Quo, &c.* Similiter D. THO. 2. contra Gent. cap. 51. Et quia forma est natura ideo de forma semper dicunt grauissimi auctores esse principium *Quo*; legi potest AVERR. in 1. de an. Com. 64. vbi agere tribuit homini, sed animæ non tribuit agere, sed esse id, per quod homo agit. ALEX. ALENSIS 5. met. in expos. t. 15. *Composito, inquit, contingit agere sicuti illi, quod elicit actionem, forma*

autem sicuti illi, quod est principium eliciendi actionem. ZIMARA etiam in 4. phys. contradictione 6. D. THOM. 7. met. lect. 7. *formæ inquit, non habent proprie esse, sed magis sunt, quibus aliqua habent esse*. Et in prima part. qu. 45. art. 4. *formæ inquit, & accidentia, & alia huiusmodi non sunt entia quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est*. vide ZABARELL. 2. phys. super Tex. 3. Cum ergo forma sit alij ratio essendi erit etiam ratio operandi, & non erit operans per se primo. Idem S. TH. prima part. qu. 42. art. primo ad primum *Omne, inquit, agens agit per suam formam*, distinguit ergo agens à forma, nam sicuti ait in eadem prima parte qu. 41. art. 5. *omne producens aliquid per suam actionem producit sibi simile quantum ad formam, quâ agit*. Ex dictis sic breuiter concludo, animal mouere se ipsum per formam, Qua se movet, ideo hanc formam esse naturam, non autem animal, quod per illam se mouet. Hoc enim vere est naturale.

27. In eadem Pag. 26. Proponitur esse substantiam aliquã compositam, quæ est essentia, quidditas & forma totius, & hanc esse naturam. Quod ego libentissime concedo, sed cum hoc pacto ne ex tali essentia postea deducatur compositum, quod habet essentiam esse naturam, sicuti paulo infra in Cap. 5. n. 5. obseruabo fieri in pag. 43. sui libelli à prestantissimo Collega, quoniam concedam quidem humanitatem ver. gr. esse naturam, sed non hominem, concedam, vt verbis vtar AVERR. primo de Cœlo Com. 92. *cælitatem* esse naturam, sed non concedam de Cœlo.

CAPVT QVARTVM.

1 IN Pagina 27. asseritur naturam vere ac proprie esse id omne, vnde proxime, ac per se pendent omnia naturalia; Iam in cap. 3. n. 4. vsque ad nonum explicaui meam sententiam

tentiam quomodo efficienti conueniat nomen Naturæ, ad illum remitto studiosum Lectorem. Hic addo hanc propositionem nunquam esse concedendam, *illud est Natura, a quo pendent naturalia*. nisi cum distinctione; pendere naturalia ab aliquo contingit duobus modis *effectiue*, & *formaliter*, ex dependentia effectiua non possumus iudicare naturam, sed ex dependentia in genere causę formalis, Natura enim est essentia rerum naturalium, à qua habent esse formaliter naturalia, siue efficiens sit Natura, siue non; hęc fuit doctrina IACOBI ZABARELLAE in 2. phys. Com. t. primi & 2. & probatur euidentissime argumento corporis cęlestis, quod est naturale secundum ARISTOTELEM 8. met. t. 1. & 12. & 1. de Cælo t. 15. non quia dependeat à natura, tanquam ab efficiente, sed quia secundum se formaliter intrinsece habet naturam. De efficiente enim cęlorum quale sit, quomodo produxerit cælos, Peripatetici non bene concordant, cõueniunt tamen in hoc, esse naturale Cælum propter intrinsecam inclinationem quam habet ad motum circularem. Quo ad causam efficientem refertur in Deum qui non est Natura, sed ad summum naturalis causa, vt latius infra dicendum est Cap. 8. Satis mihi sit in pręsentia adducere locum AVERR. qui comparat Naturam cum intelligentijs, & fatetur Naturam dependere ab intelligentijs in suis actionibus sed non propterea vocat intelligentias naturas, sed natura pręstantiores: locus AVERROIS est in 12. Metaphysicæ Commento 18. illis verbis. *Secundum hoc igitur est intelligendum quod natura facit aliquid perfecte, & ordinate, quamuis non intelligat quasi esset rememorata ex virtutibus agentibus nobilioribus ea, qua dicuntur intelligenta*. Concludo itaque me negare hanc consequentiam naturalia dependent ab aliqua causa effectiua, ergo ista causa, vt sic præcise est Natura, & quia in eadem Pagina 27. citatur t. 1. 2. phys. ideo dico vt supra etiam dixi cap. 3. n. 5. illum textum non loqui

de causa effectiua naturalium, sed de causa formali. Videantur scripta in cap. 3. n. 5.

2. In Pag. 28. adhuc pergit insistere Dominus meus in hac sua causa effectiua, & vult causã efficientem, primariam, productiuam corporum naturalium generabilium, & corruptibilium esse naturã: iam dixi sect. 1. cap. 5. si est efficiens extrinsecum non dici naturam, sed causam naturalem, quocirca cęlum vt concurrit ad productionẽ sublunarium non dicitur natura, sed causa naturalis eorum.

3. In hac eadem pag. 28. ad hoc idem probandum adducitur t. prim. lib. primi de generatione vbi sic ARIST. de *generatione, & corruptione eorum, quæ naturâ generantur, & corrumpuntur*; in quo textu primo obseruo nõ dicere ARIST. de generatione, & corruptione eorum quæ a natura generãtur vt sic indicaret causam efficientem, sed tantum dixisse eorum quæ natura generantur; idest naturali modo, & sicuti naturalia generãtur, contrãdistinguendo generari natura pręcipue à tribus videlicet *à generari artificiose, 2. à generari per liberam electionem, vltimo à generari violenter*, & in summa ille textus resoluitur in hoc, quod vult agere de gener. quę fit à causis naturalibus determinatis ad vnum, & sine violentia ex parte ipsius passi, hinc n. fit, vt illa generatio dicatur naturalis. Et quia generatio substantialis non fit à causa effectiua intrinseca, quia nemo generat seipsum 2. de anima 47. ideo non exigitur vt causa generans sit natura, sed sufficit vt sit naturalis causa, generatio vero dicetur naturalis, quia fit iuxta inclinationem, & exigentiã illius subiecti, ex quo fit generatio, & ita natura attendenda est penes intrinsecum passiuum in generatione, non penes actiuum quod est extrinsecum; quod diximus etiam de motu Cæli in sect. prima cap. 7. Interim de hac re videri poterunt ea quæ docte scribit PERERIVS lib. 7. cap. 13.

4. In eadem Pag. 28. citatur etiam t. 1. 2. phys. sed iam

dixi

dixi supra hunc textum non loqui de causa efficiente, sed de formali, illa dicuntur esse natura quæ essentiam suam in hoc habent, vt natura constent. Citatur etiam t. 5. 5. met. sed iam supra dixi cap. 3. n. 5. hunc textum loqui de effectiuo intrinseco, & propterea de ea efficiente causa, quæ est natura, sed non debet extendi ad quodlibet efficiens etiam extrinsecum.

5. In eadem Pag. 28. adducitur t. in primo de partibus animalium cap. 1. vbi tantum habetur in operibus naturæ esse causam finalem, quæ est ratio boni & pulchri. Video fieri vim in illo verbo, *Naturę operibus* quasi natura, vt efficiens sit horum operum causa; pro cuius rei explicatione, & dubij solutione obseruandum est, vt supra dixi in hoc cap. n. 3. naturale tribus modis posse dici, & opus Naturæ tribus modis posse accipi. Primo vt contradistinguitur ab *artificiali*. 2. *à libero*. 3. *à violento*. Priore modo considerauit ARISTOTELES in 2. phys. t. pr. dum distinxit ea, quę sunt Natura ab illis, quæ sunt propter alias causas, intelligendo artem, vt constat ex 2. t. lib. 2. phys. vbi naturalia contradistinguũtur ab artificialibus, & in t. etiam 3. lib. 2. phys. excluditur ars a ratione naturæ; opera ergo naturæ in hoc primo sensu erunt, quæcunque fient à causa naturali, non operante ex arte, sed ex naturali facultate, quæ propterea vt operans ad extra non vocabitur natura, sed causa tantum naturalis, idest non artificiosa. 2. modo videlicet à causa libera, contradistinguitur natura sæpe n. a S. THOM. vt in prima parte q. 82. art. primo & 2. vbi dicit in voluntate esse naturalem quandam inclinationem in bonum, & in finem, quę vocatur naturalis, quia non libera, saltem secundum speciem actus, & in eadem prima parte qu. 60. art. primo conceditur in Angelis amor quidam naturalis, idest non liber, & in qu. 41. art. 2. productiones diuinarum personarum appellantur naturales propter eandem rationem, & in hoc sensu opera naturæ

turę erunt quæcunque fient à causa agente cum naturali determinatione. Vltimo modo distinxit ARISTOTELES naturale, à violento 5. phys. 56. & primo de Cælo 76. atque ita solet dici opus naturæ, quod fit asque violentia, & sine repugnantia patientis vt dixi sect. p. cap. 6. & 7. quocirca motum lapidis sursum, concussionem terræ in terremotu, deiectionē fulminis deorsum non dicimns esse motus naturales, quia violenti, quamuis à naturali causa procedant, idest non artificiosa, & non libera. In summa opera naturę intelligũtur quæcunque a causa naturali procedunt, agente propter finem, quæ causa, vt sæpius diximus sec. pr. cap. 5. si agat extra non est Natura, sed tantum causa naturalis.

6. In eadem Pag. 28. citatur t. 34. lib. 2. de anima vt ostendatur dari causam efficientem in materiam exteriorem quæ sit natura; sed vere ille textus nihil aliud probat quam esse causam naturalem, quæ generat sibi simile, quatenus vero producit aliquid extra se, dico non esse proprie naturam, & quia de hac re disputatum fuit abunde in sect. pr. cap. 4. & 5. ideo ad illum locum remitto studiosum Lectorem, præcipue ad caput 5. illius sectionis; & eodem modo explico t. citatum hic in pag. 29. ex primo Magnorũ Moral. cap. 10. natura enim quæ est procreatrix essentiæ qualis ipsa est, vocatur à philosophis causa naturalis, prout producit aliquem effectum exteriorem. Si volumus hoc vnum tantum hic considerare pręter dicta in illa sect. pr. obseruemus generans, & naturam tantum materialiter coniungi in eo, quod generat aliquid extra se, nam illud principium potest esse natura generantis quæ generat; quia est eius forma, sed nunquam est natura geniti, & ideo generanti non tribuimus esse naturam in eo quo generans est, siue vt dici solet *reduplicatiue* at formæ, & materiæ hoc tribuimus quia forma cuius est forma eius est natura, & ita efficienti intrinseco hoc idem tribuimus quia respectu cuius est efficiens, respectu eiusdem est natura, sed

ge-

generans aliquid extrinsecũ ex accidenti est natura per se tãtum est causa naturalis, de qua loquuntur dicti textus videlicet 34. 2. de anim. & cap. 10 li. 1. magnor. moralium. Doctrina hęc egregię proponitur & explicatur ab AVERS. q. 9. sec. 5. ad quem remitto lectorem.

7 In eadem pag. 28. tangitur distictio celebris naturę vniuersalis & particularis & in pag. 29. fit magnum fundamẽtum in hac distinctione pręcipue in Natura vniuersali, nam si concedimus hanc esse naturã proculdubio causa efficiens in materiam exteriorem sub hac eadem consideratione erit natura; quocirca opere pretiũ est hic paulo immorari, & exprimere sensum istius vulgatę distinctionis. Dico Naturam vniuersalem in causando, de qua hic loquimur, non proprie dici naturam, sed causam naturalem vniuersalem, siue connexionem, & ordinem omnium causarum naturalium à prima causa dependentium, & ideo abutimur nomine naturę debẽtes dicere causam naturalem vniuersalem. S. THOM. 2. de cęl. le 9. *dicitur*, inquit, *natura vniuersalis uirtus actiua in causa vniuersali.* ALBERT. MAGN. 1. phy. tractu 1. cap. 6. *Natura*, inquit, *generans & producens res est duplex, quę est sicut causa generatonis vniuersalis rerum & ea, qua est sicut causa particularis, &* explicat naturam vniuersalem in Cælo, *quod cum partibus suis, & imaginibus, & motibus generat vniuersaliter hominem, & plantam, & cætera omnia,* Ex quo loco sit arguo. Principium extrinsecum applicabile pluribus nullius eorum est natura, sed tantum causa naturalis, quia natura est principium intrinsecum, iuxta probata in prima sect. cap. 2. sed natura vniuersalis est principium extrinsecum æque applicabile pluribus ex allata doctrina ALBERTI, ergo natura vocata vniuersalis non est vere natura, sed causa naturalis. Idem optime colligitur ex eodem ALBERTO 2. phys. tractatu 1. cap. 5. Significat etiam aliquando hæc natura vniuersalis ordinem, & connexionem causarum naturalium, &

tunc

tunc etiam patet vocari improprie naturam: secundum hanc acceptionem vtitur D. THOM. nomine naturæ vniuersalis in 13. de veritate ar. prim. in solutione 2. *dicendum quod duplex est natura scilicet particularis quæ est propria vniuscuiusq; rei, & vniuersalis, quæ complectitur totum ordinem causarum naturalium* vide ZABARELLAM 1. de Gen. in expositione t. 1. loquentē de Natura vniuersali: Et FONSECA 5. met. cap. 4. qu. pr. sect. 2. pariter obseruat ARISTOTELEM accepisse naturam pro tota aggregatione causarum naturaliũ agentium; constat vero hoc non esse proprium significatum naturæ. Obseruo etiam hic S. THOM. in p. 2. qu. 85. ar. 6. dixisse *naturam vniueralem esse virtutem actiuam in aliquo vniuersali principio naturę, puta in aliquo cælestium corporum vel alicuius superioris substantiæ secundum quod etiam Deus, à quibusdam dicitur natura naturans*, ex quo sic deduco argumentum vt ostendam naturam vniuersalem nihil aliud dicere, quam causam naturalem vniuersalem: Natura naturans, non est proprie, & stricte natura, sed naturalis causa, & naturæ principium vt determinatum est supra sect. pr. cap. 11. natura vniuersalis incidit in eandem significationem cum natura naturante, secundum S. THOM. citato art. 6. ergo natura vniuersalis non est proprie, & stricte natura. Cum ergo videamus naturam vniuersalem attribui etiam Deo respectu omnium creaturarum vt S. TH. dixit citato ar. 6. & dic[illegible] etiã ALEX. de Ales 6. met. in expositione t. 8. concludere possumus non dici proprie naturam, quia Deus non est rerum creatarum natura sed causa earum, & Naturæ auctor, vt late probatum est in sect. prima c. 9. & 10. Ad maiorem confirmationem adduco id, quod GABRIEL Zerbus scribit lib. 5. met. qu. 4. art. 3. Naturam hanc vniuersalem non posse reduci ad vllam significationem naturæ allatam in 5. met. t. 5. ab ARISTOTELE; quia neque ibi, neque in 2. phys. initio, intendit ARISTOTELES agere de huiusmodi natura, sed

nostra disputatio est iuxta doctrinã ARISTOT. in his duobus locis, uidelicet in 5. met: & in 2. phy. ergo impertinẽs est hic commemorare naturã naturantem, siue naturam vniuersalem, cum hic agamus de natura particulari, & naturata, iuxta ea quę adnotaui in sectione 1. cap. 11. de mente NICOLI MEDICI celeberrimi. AVER. etiam in disputatione 11. (in quibusdam codicibus est disputatio 12.) solutione primi dubii naturam acceptã pro principio motus excludit omnino à Deo, sed hęc natura est in nostra disputatione considerãda, ideo natura vniuersalis, siue naturãs proposito nostro nõ confert. Obseruauit SVESSAN. in expositione illius disputationis 11. dicẽdo, *talis natura debet ab ipso Deo auferri; capiendo ergo Naturam pro ut eam definit ARIST. in de phy. auditu, sic Deus non agit per naturam.*

8 In Pagina 29 pro exemplo naturę tam vniuersalis quã particularis afferuntur Sol & homo in generatione hominis, iuxta t. 26. 2. phys. & præcipue pro natura vniuersali affertur cælum iuxta t. in primo Meteorum cap. 2. Vere hæc exẽplà confirmant mirum in modum ea, quæ toties à me dicta sunt, videlicet hæc ita allata non esse naturas, sed tantũ causas naturales, quod terminaui in sectione prima cap. 5. Quis enim dicat Solem esse naturam hominis ab illo geniti? aut patrem esse naturam filij? Dicemus potius esse causas naturales, naturæ vero appellantur hæ substantiæ, siue formæ quando agunt aliquid intrinsecum tam Soli, quam homini generanti. De quo videatur sectio prima cap. 2. & 3.

9. In eadem Pagina 29. quia concluditur vniuersalissime de causa efficiente rerum naturalium esse naturam, quod conclusum fuerat etiam pagina 22. ego dico illud idem quod dixi cap. 3. n. 9. conclusionem debere fieri de aliquo efficiente, non de omni; & quando tangitur argumentum artis in hac pagina 29. resp. sicut dixi in cap. 3. n. 5. artem quando agit ad extra conseruare sibi rationem artis, quia ars agit in exte-

riorem materiam, sed natura eo ipso quod agit in exterius amittit nomen naturæ, & transit in rationem causæ naturalis: vt diximus sect. prima cap. 5. & hoc significauit ARISTOLELES lib. 2. phys. t. 86. dicendo naturam esse similem arti quando agit in subiectum, in quo est, vt quando Medicus medetur sibi. Arti ergo agenti in extrinsecum natura similis non est.

10. In Pag. 30. dicitur de fine, ipsum esse naturam. De qua re nolo hic repetere supra satis diffuse dicta; Videndum caput 3. n. 10. & 11. ibi apparet quomodo sit concedenda hæc propositio finis est Natura, & quomodo neganda; videantur etiam quæ dicta sunt in eodem cap. 3. n. 23.

11. In Pag. 31. habentur hæc verba: *Est autem talis natura forma qualibet*. Non concedo hanc propositionem nisi de forma informante, & hoc valde obseruandum pro dicendis in sequentibus; remitto lectorem ad sect. primam cap. 12.

12. In eadem Pag. 31. extenditur nomen Naturæ etiam ad materiam secundam, de qua re nolo hic repetere superius dicta, sed sufficiunt probata in cap. 3. n. 12. 13. 14. & 15. & in hoc vltimo numero 15. præcipue consideratur hæc res.

13. In eadem Pag. 31. asseritur de omni forma esse naturam, siue sit educta de potentia materiæ, siue sit à materia independens. Ego hoc concedo tantum de *forma informante*, & ideo concedo animam rationalem esse naturam hominis quatenus est informans hominem, & constituens vna cum corpore hominem essentialiter; si extendatur hoc ad formas assistentes nego esse naturas; iuxta determinata in sect. 1. cap. 3. & 12. ad quæ me remitto.

14. In Pag. 32. asseritur naturam definitam ab ARISTOTELE in 2. phys. 3. esse communem quatuor causis, & substantiæ compositæ. De hoc nolo repetere ea, quæ dixi in cap. 3. vbi abunde dixi quomodo efficiens sit natura, & quomodo non sit; quid sentiendum de fine, & de substantia composita,

quo ad esse naturam vel non esse. Videantur ibi scripta, à quibus nunc non discedo.

15. In Pag. 33. dicitur quod causa quælibet est vere natura: hoc non admitto simpliciter, sed cum limitationibus adductis in cap. 3.

16. In Pag. 35. *dicitur materiam quoquo pacto esse in forma*; quamuis hæc res sit leuis, & spectet tantum ad modum loquendi, tamen ingenue fateor hanc, locutionis formam mihi non placere, quia video ARISTOTELEM aliter loquutũ fuisse. In 3. n. phys. 65. & 66. imo & 67. docet materiam contineri à forma, sed vi istius continentię non dicit, materiã esse *in forma*, sed potius *esse sub forma*: ita in 4. phys. t. 15. illis verbis *hęc autem est id, quod continetur sub forma ac deffinitur, vt sub plano ac termino*, quocirca placeret mihi dicere materiam esse *sub forma non in forma*. Relata materia ad compositum dicitur *inesse* primo phys. 82. 2. phys. 7. sed relata ad formam dicitur *subesse, non inesse*, quia est subiectum 1. phys. 82. 8. meth. 4. & alibi passim, quocirca in 2. de an. t. 4. tribuit ARISTOT. animæ esse in alio, quia est forma, sed corpori non tribuit esse in anima, quia corpus est subiectum, & materia quamuis corpus etiam dicatur ab anima contineri 1. de an. 90.

17. In eadem Pag. 35. Repetitur finem esse causam principalissimam, & per consequens videri naturam, sed hoc iam fuit discussum in cap. 3. n. 10. & 23. nihil hic addam, quia ibi scripta satis esse possunt.

18. In eadem Pag. 35. obseruatur, & bene naturam esse principium mouendi, in quo est; Ego hic noto illam particulam, *in quo est*, intelligendam de inexistentia *per unionem essentialem*, quia non sufficit esse quomodocumque in alio, & illud mouere ad hoc, vt sit natura, sed oportet inesse essentialiter, sicuti forma informans inest, & sicut essentia, vt conclusi in sect. 1. præcipue cap. 3.

19 In pagina 37. repetitur de motu elementorum, quod non habeant intrinsecum actiuum principium sui motus. Videantur dicta supra cap. 3. n. 2.

20 In pag. 39. asseritur, sub hac definitione naturę comprehendi etiam generans, de quo ego dico, generans potius appellandum esse causam naturalem quam ueram naturam quia generans substantialiter produeit aliquid extra se, 2. de anima 47. ideo non agit *in eo in quo est*; sed extra id in quo est, deficit propterea à ratione naturę. Vidēda Sect. 1. cap. 4. & 5.

21 In pag. 40. fit conclusio nimis generalis, & indeterminata esse quatuor ea, in quorum unoquoque continetur uera ratio naturę, & pręcipue dicitur hoc de fine, & de generante quę non admitto, nisi iuxta determinata in cap. 3. a n. 5. vsq; ad n. 12. & iuxta conclusa in eodem cap. 3. n. 23.

CAPVT QVINTVM.

1 IN Pag. 41. constituitur primum argumentum ad probandum Cælum esse naturam. Materia siue proxima, siue remota constituens corpus naturale est natura, cælum est materia, ex qua cum elementis constituitur mūdus, ergo Cælum est Natura. Respondetur distinguendo materiam Altera est materia *potentialis*, *informabilis a forma*, concurrens cū forma ad faciendum vnum per se: altera est materia *actualis* non formabilis à forma, neq; concurrens ad faciēdum vnum per se, sed vnum per accidens; illa prior materia est Natura docente ARISTOTELE 5. met. t. 5. circa finem, illis verbis *Materia enim eo quod huius est susceptiua dicitur natura*, loquitur ergo de materia, quę est susceptiua formæ, & propterea materia potentialis actuabilis à forma. Materia autem actualis concurrens cum aliquo alio actuali corpore ad faciendum

vnum

vnum per accidens non appellatur natura, sed corpus naturale. Cælum est corpus aliquod actuale, ideo naturale dicitur non Natura: Ita videmus loquutum fuisse ARISTOTELEM primo de Cęlo 95. dum ait materiam mundi esse *vniuersum sensibile, & naturale corpus*; & in t. 97. pariter dicit *mundum constare ex naturali, & sensibili corpore* ideo cælũ appellat naturale 8. met. t. primo & 12. non ergo est natura argumento t. 12. lib. 2. phys. quamuis ergo cælum in habitudine ad mundum appellari possit materia, tamen non potest vocari natura, quia est materia actualis, & proportionaliter dicitur materia, non proprie, videnda ea, quæ scripsimus supra cap. 3. n. 15. ex doct. ALEXANDRI de Ales.

Et quia mundus non est aliquid vnum per se, sed tantum per accidens, vt late probaui supra cap. 1. n. 3. ideo eius pars integralis non dicetur stricte materia, sed potius materiale quid, non stricte natura, sed aliquid naturale. Arguo etiam hunc in modum. Substantia animata est naturalis, non natura 2. de anima t. 3. Cęlum est animatum, vt concedit ipsemet Excellentiss. Collega infra Pag. 56. cum multis sequentibus, ergo stricte loquendo cælum erit naturale non autem natura.

2. In eadem Pag. 41. & 42. affertur secundum argumẽtum ad probandum Cælum esse naturam, quia forma est natura, cælum respectu corporum ab illo contentorum est forma, ergo cælum, vt sic est natura. Resp continens, & formam dupliciter dici, aliud enim est continens *extrinsecum* Aliud *intrinsecũ*; forma, quę est natura est continens intrinsecum nã informat, & dat esse, cælum est continens extrinsecum per modum loci, ideo nec vere est forma, nec vere natura. Dico itaque secundum quandam similitudinem, & proportionem non solum Cælum, sed quemlibet etiam locum appellari posse formam: ita loquutus est AVERR. 1. de Cæl. Com. 95. vbi apponit particulam, *quasi forma*, vt indicet improprietatem.

tem. Ita idem AVERR. 1. de Cæl. Com. 24. Apertissime ARIST. in 4. phys. 35. indicat continens per modum loci non esse continens per modum formæ, quia forma est terminus rei locatæ & per consequens intrinsecus, locus autem est terminus continentis & per consequens extrinsecus. Et propterea accuratiss. ARIST. semper distinxit locum à forma; vt patet 4. phys. 17. & 18. eodem 4. phys. 11. 20. 29. 30. & 39. vt mirum sit posse aliquem abuti hoc æquiuoco, & dicere cælũ esse formam rerum contentarum cum sit tantum locus; sit ergo Argumentum Cælum est locus 4. phys. 42 & 46. ergo nõ est forma. Quando ergo audimus ARISTOTELEM dicere id quid continet esse formam, semper intelligamus de continente intrinseco, vt 2. de an. 39. 3. phys. 65. & 67. aut intelligamus de forma secundum similitudinem vt 4. de Cælo. 22. 4. phys. 49. 4. de Cæl. 35. & alijs pluribus locis. Obseruo verba istius t. 35. 4. de Cælo dicit ARIST. *dicimus autem id quod continet formæ esse, quod autem continetur materiæ*; non dicit esse formam, sed esse formæ: & AVERR. ibi declarat sic, *locus enim superior est quasi forma loco inferiori*; ALBERT. etiam super hunc t. 35. ostendit similitudinem quandam formæ esse in loco, non autem veritatem formæ; Ideo locus non erit natura locati, cælum est locus, & nihil amplius habet de forma. Locum distinguit ARISTOTELES à forma lib. 5. phys. t. 3.

3. In eadem Pag. 42. affertur t. 50. lib. 2. de generat. ad probandum cælum esse formam respectu corporum contentorum. Dico illum t. probare tantum cælum esse secundum similitudinem quandam formam, non autem proprie; consulamus expositores illius loci, vt veram hauriamus interpretationem. PHILOP. aperte ibi testatur formam non accipi in illo loco *secundum substantialem rationem, sed extrinsecã formam quæ in superficie consideratur*. AVERR. in illo Com. 50. *concauum, inquit, est quasi forma*, illa particula quasi indi-

cat

tat in proprietatem, & in eodem Com. ait *proportionem ignis ad elementa alia esse sicut proportionem formæ, & hoc ratione continentiæ*, non est ergo forma neq; ignis neq; cælum respectu inferiorum, sed quasi forma. SVESSANVS ibidem eodem modo exponit dicens cum PHILOPONO per formam intelligi, *non substantialem sed secundum similitudinem*. D. THOM. hoc idem exprimit ibi dicens *superiora ad inferiora se habent sicut forma ad materiam*; obseruo proportionem in his verbis non veritatem adæquatam. EGIDIVS retulit hoc ad *continentiā virtualem* cælorum qui sunt causę æquiuocæ omnium, & ideo sunt veluti formæ formarum quia virtute continent omnes formas sicut in 3. de anima 38. *manus dicitur instrumentum instrumentorum, quia omnibus vtitur instrumentis*, sed hoc modo cęlum non appellabimus verā formam rerum, sed agens, virtualiter continens hæc inferiora.

4. In eadem Pag. 42. affertur Tertium argumentum efficiens res naturales est natura, cælum est efficiens res naturales, ergo cælum est natura. Respondeo efficiens intrinsecum esse naturam, sed extrinsecum, siue in extrinsecum agens esse causam naturalem: Cælum est agens in hæc inferiora extrinsecum. Videantur notata in lect. prima cap. 4. & 5. & in hac sect. 2. cap. 3. à n. 4. ad 9. inclusiue.

5 In pag. 43. affertur 4. argumentū substantia quelibet corporis naturalis in ea prioritate naturę qua pręcedit omnia sua accidentia est uere & proprie natura, cęlū est huiusmodi ergo. Respondeo ad hoc argumentum, si huiusmodi substantia intelligatur esse *cæli essentia*, esse naturam; si intelligatur esse *cælum, quod in hac essentia subsistit* non esse naturam, sed naturale, & quoniam supra in Pag. 26. dictum fuit à præstantissimo Collega substantiam in hac prioritate, qua præcedit accidentia sumi pro essentia, ideo hic non debet concludi nisi de essentia cæli, non autem de ipso Cęlo; & hoc ego annotaui supra cap. 3. n. 12. & rursus eodem cap. 3. n. 27.

vbi

vbi obseruaui argumentum huius paginæ 43. & dixi nō bene concludi ab essetia cęli, ad cęlum, sicuti non est bona cōsequētia humanitas est natura hominis, ergo homo est natura; sed potius ergo homo est naturalis, & eius essētia est natura scilicet humanitas.

6 In eadem pag. 43. affertur 5. argument. quod uerbis ualde copiosis & profusis exprimitur, medius terminus uidetur hic assumi; principium primum motus & quietis per se in quo est, non secundum accidens est natura, cęlum & mundus sunt huiusmodi principium, ergo sunt naturę. Ad quod argumentum respondeo reassumendo dicta cap. 3. n. 12. & 27. uidelicet si accipiatur essentia cæli hanc esse principium motus saltem passiuum, & esse naturam, sed si accipiatur cælum, vt subsistit in hac essentia nullo modo esse naturam, sed potius naturale, siue naturam habens; ita didici ex SIMPLICIO 2. de cęl. com. 3. & 4. & 8. phy. com. 31. ita me docet ALEX. lib. primo naturalium q. cap. 1. & lib. 12. met. Com. 20. Idem SIMPLICIVS 1. de Cæl. Com. 6. *naturalia inquit sunt naturalia habendo naturam, natura autem est principium motus*; Cælum itaque est naturale, & in eo natura est principium, quo mouetur naturaliter, nam vt diximus cap. 3. n. 26. & cap. 2. n. 3. *natura est id, quo mouetur naturale*; cælum habet inclinationem aliquam ad motum circularē, ista propensio, & habilitas est in cælo natura, ipsum cælum non est natura; legantur circa hoc scripta in sect. 1. cap. 7. & apparebit aliud esse cælum, aliud naturam Cæli.

7. In Pag. 45. concluditur his ūerbis; sic ergo primum mouens immobile ab alio quod Cælum est, ac Mundus est principium primum motus, &c. Ego dico non bene concludi de Cælo, sed de natura, quæ inest Cælo, & de essentia ipsius Cæli, in qua subsistens cælum appellatur naturam habens; vt notaui supra cap. 3. n. 27.

8. In eadem Pag. 45. mihi non placet hoc idem concludi

de

de *mundo* quia, vt dixi in cap. 1. n. 3. mundus non est aliquid vnum per se, vt dicatur habere vnam essentiam substantialem quæ sit in eo principium motus, est aggregatum per accidens, non est animatus, non habet vnitatem nisi ordinis, quæ est minima vnitas; natura vero requirit suppositum vnum per se.

In eadem Pagina 45. affertur 6. argumeutum ideo mũdum esse naturam, quia est finis omnium partium ipsum integrantium, sed ego iam dixi in cap. 3. n. 10. & 11. *non omnem finem esse naturam*: confirmaui adhuc eodem cap. n. 25. quocirca nego hanc consequentiam, mundus potest aliquo modo appellari finis motuum corporum simplicium, ergo mundus est natura; quia iam destructum *est omnem finem esse naturam*.

9. In Pag. 46. mihi videtur afferri pro me optimum motiuum ad probandum id, quod immediate antea dixi, videlicet, *non omnem finem esse naturam*; homo est finis omnium quodammodo, nempe finis, *cui*, vt dicitur a Domino meo in hac pagina 46. sed constat hominem non esse naturam, sed quid naturale, ergo finis, Cui, non est natura; Cum itaque Mundus ad summum possit appellari finis, *Cui*, motuum simplicium corporum, profecto non erit natura, sed aliquod naturale, vt dixi supra cap. 3. n. 10. imo neque naturale quia non vnum per se.

10. In hac eadem Pag. 46. ad probandum mundum esse naturam adducitur modus ille loquendi quo dicimus aliquid esse *in rerum natura*, significantes esse in mundo, quasi mundus sit natura rerum; sed facile respondetur. Mundum non esse naturam, sed esse aggregatum omnium naturarum, & naturalium, & quia nullum naturale, & nulla natura est extra mundum, ideo dicentes esse in mundo, dicimus esse in rerum natura, non quod mundus sit vna natura, cum non habeat vnum esse per se.

11. In eadem Pag. 46. affertur t. in 1. met. summa 2. cap. 2. vbi laudatur ANAXAGORAS, *quod posuerit intellectũ in natura causam mundi totiusq; ordinis quasi* deducatur si posuit in natura, idest in mundo, mundum esse naturam; sed dico vt paulo antea dixi cap. 1. n. 8. ANAXAGORAM posuisse intellectum adesse partibus illis similaribus, quas debebat segregare, quarum vnaquæq; in singulis erat natura, vel naturale sed congeries omnium, quæ vocabatur Chaos, non erat vna natura. Mundum itaque concedo esse omnium naturarum, & naturalium aggregationem, sed non naturam, quia in rigore loquendo non est aliquid vnum per se.

CAPVT SEXTVM.

1 IN Pag. 47. proponitur finem esse Naturam: hic ego nihil aliud dicam solum in memoriam adducam ea, quę ostendi in cap. 3. n. 10. & 11. Concedo itaque hanc particularem, *aliquis finis est natura*; sed non concedo hanc vniuersalem, *omnis finis est Natura*, & propterea non admitto indefinitam propositionem *finis est Natura*, nisi limitetur, vt æquipolleat particulari affirmatiue, nam solus ille finis est natura, qui est forma informans intrinsece.

2. In eadem Pag. 47. asseritur quod prima ratio naturæ sit quod sit generans, & efficiens res naturales. Hoc non admitto, nisi sub limitatione, & distinctione allata in cap. 3. n. 4. & latius explicata in sect. 1. cap. 4. & 5. legantur ibi scripta.

3. In Pag. 48. affertur ratio ad probandum finem esse naturam, quia promouet, tamquam causa, generationem naturalem, & dicitur esse causa principalis, quia mouet efficiẽs, &c. Resp. vt dixi supra cap. 3. n. 23. videantur ibi scripta.

In

4. In Pag. 49. affertur altera ratio ad probandum finem esse naturam quia natura est id cuius gratia fit generatio physica, hæc autem est essentialis definitio finis. Respondetur per ea quæ dixi cap. 3. n. 10. 11. &25 & per ea quæ annotaui in sect. 1. cap. 5. summa est *nec omnē naturam esse finem, neq; omnem finem esse naturam*, sed tantum internum finem qui est forma, cuius gratia est generatio.

5. In eadem Pag. 49. affertur tertia ratio ad probandum finem esse naturam, quia res naturales denominantur, & cōstituuntur in esse per suum finem, & constitutio, & denominatio fit à natura. Ego dico non esse sine distinctione hoc afferendum de fine, sed ita distinguendum; aut finis est intrinsecus rei, aut extrinsecus, illum priorem finem facile concedam esse naturam, vt inter recentiores sustinet Auersa q. 9. sect. 4. sed quia vt plurimum finis est causa extrinseca, ideo non concedo *res constitui à fine*, sed ad summum dico aliqua constitui per suas differentias intrinsecas, *in ordine tamen ad finem*, ita vt constitutio attendatur potius ab isto ordine essētiali in finem, quam ab ipso fine; docet hoc D. THOM in 1. 2. q. 18. a. 4. ad 2. sic dicens *quamuis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum inhæret actioni.* Hanc doctrinam sequuntur fere omnes, dum tractant illud quęsitum, *an potentiæ distinguantur per actus, & per obiecta*; inter quos FERRAR. 2. de anim. q. 6. sic dicit: *respond. & dicitur primo quod operationes non dant speciem his, quę sunt ad finem*; persistendo in hac similitudine ita arguo, sicuti se habēt actus ad potentias ita finis ad ea quæ sunt ad finem, sed actus non dant speciem potentiis intrinsece, sed potius ordo in actum, ergo neque finis quando est extrinsecus dat speciem rebus ordinatis in finem; hæc eadem doctrina explicatur à CAIET. in 1. p. q. 77. a. 3. ibi *Vnde est 4. opinio &c.* ubi concedit potentias, & huiusmodi entia ordinata in aliquid extrinsecum specificari per differentias suas intrinsecas, tamen non abstrahē-

tes ab extrinſeco,obiecto,agēte,fine,vel actu,atq; ita ęquiparat CAIET. finē,obiecto, actui, agenti, conſtat vero nullū horum proprie conſtituere quia ſunt extrinſeca;Sequitur eādem ſententiam CARD. TOLETVS lib.2.de anima cap.4. q.8.ex quibus ego concludo *fini generaliter loquendo non conuenire rationē naturæ,* quia natura intrinſece conſtituit,quod fini vt ſic tribuere non poſsumus;vtile erit pro maiore explicatione legere ea,quæ ſcripta ſunt in cap.3.n.10.& 11.

6 In pag.50.affertur 4.& ultim.argumentum ad probādum finem eſse naturam,quia eſt primum principium motus & quietis per ſe in quo eſt,non ſecundum accidens. Hic repeto eandem diſtinctionem,aut finis accipitur pro interna perfectione rei,aut pro externo fine,in quem res ordinatur,priore modo concedam eſse naturam illius rei,ut numero antecedente dixi cum AVERSA q.9.ſect.4.ſed ſi extendatur ad extrinſecum, nego definitionem naturæ illi conuenire,& ad hoc ſufficit mihi adducere ea, quæ annotaui in cap.3.n. 23. finis non mouet, ſicut mouet natura,ideo quamuis ſit cauſa valde principalis tamen non poteſt appellari natura,etenim natura quando cauſat eſt in actu;& per modum veri efficientis cauſat, finis non eſt actu quando mouet agens, & mouet metaphorice. Videndus PENDASIVS in 2. phyſ. p. 7. & apparebit, quid ſit tribuendum fini quoad eſſe naturam.

7. In Pag. 52. dicitur, ſi ſumatur quod gignitur in termino ſuæ generationis iam tunc in eo eſt actu , &c. Ego circa hoc ſic dico,quādo eſt in termino ſuæ generationis & eſt actu non amplius mouere, vt finem, ita ARISTOTELES in 1. de generatione t. 55. *habitibus præſentibus non amplius generatur ſed eſt iam, & ceſſat motus* itaque finis, vt in illo t. apparet non eſt cauſa niſi cum abeſt,ideo non eſt cauſa effectiua, cauſaret enim quando eſt, ſed natura eſt cauſa effectiua, & cauſat quando eſt actu 2. phyſ. t. 65. SIMP. 2. phyſ. c. 51. ergo finis ſecundum formalitatem finis non eſt natura ; quā-

uis

uis aliquando incidat in idem realiter & materialiter cum natura, quando videlicet est forma, iuxta notata cap. 3. n. 10. & ideo fortasse ARIST. 5. phys. t, 3. formam consideratã vt est terminus ad quem ipsius motus negauit esse mouentem, dicens *neque enim mouet, neque mouetur forma*, quia vt terminus ad quem non habet physicam aliquam actionem, sicuti habet quando est in agente, & illi est ratio agendi, iuxta t. 17. lib. 3. phys.

In summa concludam hoc caput dicendo *non esse simpliciter concedendum finem seu causam finalem esse naturam*, sed tantum de aliquo fine, videlicet interno, & concurrente in vnum, & idem cum ipsa forma informante.

CAPVT SEPTIMVM.

1 IN Pag. 54. adducitur prima ratio ad probandum intelligentias secundas motrices cælorum esse naturas. *Causa efficiens, & producens res naturales est natura, intelligentiæ sunt causæ efficientes rerum naturalium ergo sunt proprie loquendo naturæ*. Respond. iuxta notata cap. 3. n. 4. efficiens rerum naturalium esse duplex, alterum *internum* quod mouet id in quo est, alterum *externum*, quod extendit actionem suam vltra id suppositum, in quo est, & ita agit in extrinsecum. Prius efficiens, concedo esse naturam sed de posteriore nego, cum sit tantum causa naturalis, vt dixi sect. 1. cap. 5. Intelligentiæ respectu cælorum quibus assistunt sunt causæ extrinsecæ, vt pluribus ostendi in sect. 1. cap. 9. ideo non sunt naturæ cælorum, neque rerum inferiorum, sed sunt tãtum causæ naturales. Videantur diligenter scripta in sect. 1. cap. 9. & apparebit intelligentias appellari supra naturã, & entia separata, & ad summum dici posse causas naturales harum

harum rerum inferiorum, non naturas.

2. In eadem Pag. 54. dicitur Cælum pendere ab intelligē-tia tanquam *à forma, & à fine*, quod dicitur de forma non cō-cedo, nisi secundum similitudinem, & proportionem, & de hoc videantur ea, quæ scripsi supra cap. 1. n. 10. quæ enim ibi dicta sunr de Deo possunt etiam applicari proportionaliter intelligentijs: in summa sunt actus separati, coniunguntur in ratione motorum, non in ratione formarum, & assistēs actus non nisi impropriè dici potest forma, videnda, quæ latius scripsi in sect. prima cap. 12.

3. In eadem Pag. 54. asseritur intelligentias esse *fines orbium cælestium*. Admitto hanc propositionem, tamen cum limitatione, de qua dixi cap. 3. n. 10 & 11. est quidem finis intelligentia sed extrinsecus, & qui non constituitur per actionem, sed acquiritur tantum iuxta dicta in citato n. 11. ad quem lectorem remitto.

4. In Pag. 55. tangitur argumentum secundum, *finis rerū naturalium est natura, intelligentia est finis ergo natura*. Resp. vt dixi cap. 3. n. 10. & 11. non omnem finem esse naturam, sed tantum illum, qui coincidit in idem cum forma intelligē-tiæ non sunt formę cęlorum sed actus, & fines extrinseci ideo non sunt naturæ.

5. In eadem Pag, 55. affertur 3. argumentum, id, à *quo dependet naturale tamquam à forma est proprie natura, ab intelligentia cælum dependet tamquam à forma ergo intelligentia est natura*. Ad hoc respondeo maiorem non esse admittendam, nisi de forma stricte accepta, videlicet informante, si loquimur de assistente forma non conuincitur vnquam illam esse naturam, quamtumuis ab illa aliquid dependeat, intelligentia est forma tantum assistens; sed quia venimus in hanc cō-siderationem vt diceremus ab intelligentijs secundis pendere corpora cælestia, breuiter videamus an dependeant, & in quo genere causæ. Explicabo hoc cum AVERR. qui mi-

hi

hi videtur ad veritatem acceſſiſſe. In 12. met. Com. 44. dicit AVERR. *vnamquamquam harum ſubſtantiarum abſtractarum eſſe principium ſubſtantiæ ſenſibilis ſecundum motorem, & ſecundum finem:* itaq; cæleſtia corpora à ſuis intelligentijs dependent, tanquã ab efficiẽtibus motum, & tanquam à fine. De dependentia in genere efficientis loquitur AVERR. in diſp. 3. ſolut. 9. dub. vbi videri etiam poteſt SVESSANVS in Com. illius loci; in lib. etiam de ſubſtantia orbis cap. 2. vbi ait AVERR. *corpus caleſte non indiget virtute mouente ſemper in loco tantum, ſed virtute largiente in ſe, & in ſua ſubſtantia permanentiam eternam.* Quia enim cælum eſſe debet cum motu, & ab intelligentia habet motum, credit AVERR. propterea, ab intelligentia habere conſeruationem, & permanentiam in ſuo eſſe, vt aperte colligitur ex eodem AVERR. in lib. de ſubſtantia orbis cap. 4. Quo ad finem ſpectat, intelligentia dicitur eſſe finis cæli, ſed extrinſecus: colligo hoc ex AVERR. 12. met. Com. 38. circa finem; *intelligentiæ inquit abſtractæ in eo quod ſunt abſtractæ debent eſſe principia eorum, quorum ſunt principia duobus modis, ſecundũ quod ſunt mouentes, & ſecundum quod ſunt fines:* obſeruo illam particulã *abſtractę in eo quod ſunt abſtractæ*; quod enim eſt abſtractum eſt extrinſecum, & ſeparatum, & propterea finis extrinſecus. S. THOM. in 12. met. lect. 2. expreſſit hoc ipſum quod legimus in AVERR. *hoc inquit inquiret conſiderando de ſubſtantijs ſeparatis, quæ ſunt principia mouentia, & fines corporum cęleſtium:* obſeruo hos fines eſſe *ſubſtantias ſeparatas*. In eodem 12. met. lect. 7. declarat pariter S. TH. has ſubſtantias eſſe fines extrinſecos dicens, *ſicut centrum eſt finis motus grauium, & leuium motui præexiſtens, ita quoq; mouentia immobilia eſſe fines*, ſed centrum eſt finis extrinſecus reſpectu motus grauium, & leuium. Aliquando placuit AVERR. appellare has ſubſtantias *formas corporum caleſtium*; ſed ſemper indicauit eſſe formas ſeparatas, & non veras naturas

turas

turas cælorum quo circa in 1. phyſ. Com. 63. appellat *formas, liberatas à ſubiecto*, & in 8. phyſ. Com. 78. *corpora inquit cæleſtia, ſunt materia ſimplices, & formę eorum ſunt forma non in materijs:* & in 1. de Cælo Com. 5. *forma enim abſtracta nõ ſignificat naturam corporis, neq; in corpore caleſti eſt forma naturalis, &c.* Videri etiam poteſt in hoc propoſito ZIMARA in contradictione 3. in lib. de ſubſtantia orbis, & in 2. de Cęlo contradictione 2. & apparebit non eſſe in cælis intelligentias actus ita coniunctos, vt ſint formę, & per conſequens nõ eſse naturas.

6. In Pag. 56. affertur 4. Ratio ad probandum intelligentias eſſe Naturas cælorum, *anima eſt natura, intelligentia eſt cælorum anima, ergo intelligentia eſt natura.* Reſpond. negãdo minorem propoſitionem, nam maior conceditur tantum de anima informante, intelligentia vero tantum eſt aſſiſtens, vt infra dicitur in libro Excell. Colleg. pag. 146. de hoc videnda quæ ſcripſi in ſect. 1. cap. 12.

7. In eadem Pag. 56. tria dicuntur de Cælo, primum eſſe corpus naturale, ſecundum eſſe animatum, tertium ab intelligentia eſſe animatum. Illa duo priora libentiſſime concedo, ſed hoc tertium ſemper conſtantiſsime negabo: quocirca diſcurſus factus in pag. 56. 57. & 58. ad probandum Cælũ eſſe corpus naturale totus admittitur, cum hac tamen explicatione, vt eius natura non dicatur intelligentia, ſed habilitas quædam paſſiua ad recipiendum motum circularem ab intelligentia motrice, in quo ſequor D. TH. 2. de Cœl. lect. 3. SIMPLICIVM ſecundo de Cælo Com. 3. & 4. & AVER. 1. de Cælo Com. 5. & plura dixi ſect. 1. præcipue cap. 7. Si ponatur in Cælo anima informans hęc verè erit natura, & in hoc ſequar ALEXANDRVM, cuius ſententia refertur ab eodem SIMPLICIO in 2. de Cęlo Com. 3. & 4. & in 8. phyſ. Com. 31. ſed hæc anima, vt dicemus infra hoc cap. n. 9. non eſt intelligentia, & conſtat ex ALEXANDRO 12.

met.

met. Com. 34. sed hæc ponderanda paulo infra sunt.

8. In Pag. 58. asseritur cęlum esse animatum ; Quamuis sciam esse quæstionem grauem de animatione Cæli ; nihilominus in præsentia nolo repugnare, & volo concedere Cælum esse animatum . Hoc de Animatione Cæli conceditur tantum disputatiue, quia non probat D. meus quod Intelligentia sit vera Anima Cæli. quocirca totus discursus hic factus à pagina 58. per 59. 60. 61. 62. vsq; ad 64. concedatur, sed cum hac explicatione, quod si Cęlũ est animatum, intelligatur esse non ab intelligentia, sed à speciali anima infra intelligentiam, vt melius in sequentibus .

9. In Pag. 64. asseritur *animam Cæli esse intelligentiam:* hoc ego omnino nego. Absolute nõ dico Cęlũ esse animatũ, at dico si est animatum nõ animari ab intelligentia, sed ab Anima infra intelligentiam , & cum auctoritate AVICENNÆ, & ALEXANDRI conabor ostendere animam Cęlorum (supposito quod detur; contrariũ sentio) non esse intelligentiam. Primo consideremus AVICENN. lib. 9. met. cap. 4. *nos, inquit, iam ostendimus, quod anima cuiusque cæli est eius perfectio, & eius forma , nec est substantia separata, alioquin esset intelligentia, non anima;* Hic videmus animam distingui ab intelligentia , vt formam cęli , à substantia separata; vide etiam ALEX. 1. Naturalium quæ cap. 25. vbi habes animam ab Intelligentia distinctam. ALEX. itidem in 12. met. Com. 34. eandem sententiam docet sic dicens , *non igitur sphærarum animas dicit, sed alias substantias , quæ corporis expertes sunt , tanto primo intellectu inferiores , quanto sphæra [si licet sic loqui] inferiores inerrante sunt, sphærarum tamen animis superiores;* Ecce quomodo intelligentias secundas ponit ALEXANDER inferiores Deo, superiores tamẽ animabus cęlorũ; quocirca addit , *itaque sphæræ a proprijs animis mouentur, ab huiusmodi autem Dijs quemadmodum inerrans à primo intellectu.* SIMPLICIVS etiam hoc dicit 8. phys. c. 107. de opinione

ALEXANDRI de Anima interna Cœlis,& de Intelligentia extrinseca. Hanc fuisse sententiam ALEX. testantur etiam duo grauissimi recentiores nempe. PENDASIVS in textura phys. in 8. lib. cap. 39. & de Primo Motore par. 2. in 8. phys. & PICCOLOMINEVS in lib. de Cælo cap. 18. Fortasse etiam AVERR. huius sententiæ sectator fuit, iuuat hic adducere 12. met. Com. 41. vbi ait *motum cęli componi ex duplici motore, quorum alter est anima existens in cælo, & alter est potentia, qua non est in materia*, qui secundus motor mihi probabiliter repræsentat intelligentiam abstractam à materia, prior autem motor animam informantem,& in 2. de Cælo Com. 61. dicit *Cælum habere animam*, nihilominus motorem corporum cælestium *non esse in materia* dum audio non esse in materia cognosco intelligentiam abstractam, dum audio animam intelligo formam informantem; Idem AVER. 12. met. 36. concedit *corpora cælestia esse animata, & habere intellectum, & virtutem desideratiuam, qua mouet in loco*: in 3. autem de anima 14. assignat Cęlis intelligentias etiam abstractas dicendo *& hoc modo fuit possibile, quod corpora cælestia reciperent formas abstractas, & intelligerent eas*; si intelligunt cęli ergo habent intellectum formaliter vnitum, sed intelligunt intelligentias ergo intelligentiæ sunt obiectum intellectionis, quam elicit intellectus, qui informat Cælum, atq; ideo distinguemus intellectũ informantem cælum, quo cælũ intelligit, ab intelligentia abstracta quæ intelligitur à cælo. Ad hoc idem confirmandũ obseruo modũ loquendi D. THO. in 2. de Cælo lect. 3. vbi *substantiam coniunctam vocat animam*, & contradistinguit à substantia *spirituali separata*; modo intelligentia est substantia spiritualis separata ergo distinguitur ab anima, quæ est substantia spiritualis cõiuncta. Videri possunt ea quæ diffuse attuli sect. 1. cap. 9. ad ostendendum intelligentiam esse substantiam separatam, ideo non animam. Summatim concludam hanc considera-

tio-

tionem cum doctrina D. THO. qui asseruit duas esse naturas intellectuales, altera est non vnita corpori naturaliter, & est Angelus; de quo prima parte qu. 51. a 1. altera vero est natura intellectualis vnita, vel vnibilis corpori naturaliter, & est anima, de qua prima parte qu. 75. ar. 7. ad 3. q. 76. a. 1. & a. 2. ad primum, & in disputatis de anima a. 7. Seruata igitur proportionaliter hac distinctione si volumus cælum esse animatum constituemus in illo animam idest naturam intellectualem vnitam corpori naturaliter, non autem dicemus animari cælum ab intelligentia.

10. In eadem Pag. 64. adducitur ratio ad probandum animam cæli esse intelligentiam quę formari potest hoc modo. Quod est *nobilior animâ humanâ est solum intelligentia, anima cæli est nobilior anima humana, ergo anima cęli est solum intelligentia*. Cui argumento Resp. supposita opinione de animatione cęli, negando maiorem, quia anima cæli si datur vt forma Cœli est nobilior anima humana, & ignobilior intelligentia, & probo animam cęli inferiorem intelligentia esse nobiliorem anima humana 1. ostendendo differre specie, animam cæli ab anima humana, deinde in hac differentia specifica sublimiorem esse animam cæli. Illud prius probo ex doctrina D. TH. q. de anima a. 7. qualis est corporum diuersitas talis esse debet diuersitas formarum quæ sunt actus illorum corporum, sed cælestia corpora differunt specie ab humanis ergo formæ celorum differũt specie à formis humanorum corporum. Posterius, nempe has animas cælorum debere esse prętantiores animabus humanis, sic probo; qualis est proportio corporis ad corpus talis est animæ ad animã, sed cælestia corpora sunt perfectiora humanis argumento 1. de cælo t. 16. & 2. phys. 45. ergo anima etiam cęlorum erit perfectior quam humana. Vide D. THOMAM 6. eth. lect. 6. *cælestia corpora sunt homine potiora*, vide EVSTRATIVM lib. 6. Eth. cap. 7. idem asserentem. Ex hoc discursu elicio

præscindendo ab intelligentia, adhuc posse defendi in latitudine animæ esse aliquam animam præstantiorem quam sit anima humana, si cælis assignamus animas, & ideo esse falsum quod tantum intelligentia sit præstantior animâ humanâ. Hęc dico supposita opinione de animatione cęli, quam non admitto, imo reprobo, sed vtor ea veluti concessa a Domino meo in hac disputatione.

11. In Pag. 68. asseritur *ex cera, & figura fieri vnum per se simulacrum Apollinis*, & citatur t. 7. lib. 2. de anima. Circa hoc dico ARISTOTELEM adhibuisse hoc tanquam exemplum, in quo non quærimus *subiectum, sed tantum modum*, vt verbis vtar ARISTOTELIS 1. de generatione t. 18. & sicuti notat optime THEOPHIL. ZIMARA in expositione illius t. 7. *forma accidentalis vnita subiecto non facit vnum simpliciter, sed secundum quid* : & CARD. TOLET. super eundem t. 7. obseruauit, *ex figura, & cera fieri vnum, accidentale non essentiale*; & vere ex principijs ARISTOTELIS apertissime constat ex subiecto, & accidente non fieri vnum per se. Legantur ea, quæ scribit ARISTOTELES 5. met. cap. 7. & 9. & apparebit ex substantia, & accidente fieri tantum vnum per accidens, quo circa caute, & cum iudicio explicari debet t. ille 7. lib. 2. de anima, nec absolute dicendum ex cera, & figura fit vnum per se: etenim simulacrum est vnum compositum per accidens solum.

12. In eadem Pag. 65. dicitur *in arte nauigandi ex nauta, & corpore nauigij fieri vnum per se, ex curru, & auriga fieri vnum per se*. Huiusmodi propositiones apertissime reprobantur per doctrinam ARISTOTELIS 7. met. 49. vbi omnes expositores vno ore dicunt *ex duobus entibus in actu non fieri vnum per se*. AVERR. videndus in 7. met. Com. vltimo illis verbis *non sicut composita ex rebus ex quibus non fit vnum nisi per contactum* vbi indicat ex rebus se solum tangentibus non fieri vere vnum per se; & in 2. de anima Com. 7. sic lo-

quitur AVERR. *si materia, & forma essent in composito existẽtes in actu tunc compositum non diceretur vnum*: sed nauta, & nauis sunt duo entia actu, & non habẽt nisi contactum ergo non faciunt nisi vnũ secundum quid, & per aggregationẽ; ad faciendum enim vere vnum per se requiritur vt alterum cõponentium sit potentia, alterum autem sit actus perficiens illam potentiam, vt habetur 8. met. vulgato t. 15. sed in hac re non est prętermittendus pulcherrimus locus D. THOM. in 2. contra Gent. cap. 56. vbi ait *ex substantia, & accidente non fieri vnum ratione*; quod est dicere non fieri vnum per se sicuti fit ex materia, & forma substantiali, & paulo post addit. *ex duabus substantijs actu existentibus non posse fieri aliquod vnum*. Et cap. 57. nauta vnitur vt motor mobili, non vt forma materiæ. Relinquatur itaq; tanquam indubitatum, ex nauta, & naui non posse fieri vnum per se; sed vnum secundum quid. Lege notata sect. prima cap. 12. circa finem. Vide D. TH. 5. de Potentia art. 10.

In eadem Pag. 65. dicitur cęlum se *ipsum mouere ratione assistentis intelligentia*. Hoc ego nego, quia mouere seipsum conuenit ratione principij intrinseci, & informantis, argumento t. 27. & 28. in lib. 8. phys. sed intelligentia quia est assistens, est extrinseca, & ratione eius cælum non mouet se, sed si mouet se hoc habet solum ratione animę, quę iuxta ALEX. 12. met. Com. 34. informat Cælum: si negamus Cœlo Animam non mouebit se.

13 In eadẽ pag. 65. citatur t. 77. 8 phy. in quo ARIST. adducit uarias antiquorum opiniones, ex quibus probat motum localem esse primum omnium motuum, & inter alias adducit etiam opinionem Platonis, qui dicebat animam mouere se ipsam, atq; ita causare motum in corpore; Dicit Excell. Dominus collaudari hanc sententiam. Dico non simpliciter approbari illam opinionem, imo in 1. de an. t, 45. illam refert ARISTOT. et postea in textibus sequentibus impugnat; v-

ritur

titur ergo in 8.phy.77.hac opinione ad probandum suum intentum, sicuti etiam utitur opinione ANAXAG.& illorum qui vacuum dicebant esse necessarium ad motum, quamuis in rei ueritate has opiniones non approbet.

14 In Pag.66.adducitur opinio D.THOM.de Cæli animatione secundum mentem ARIST.& afferuntur verba D.THOM.ex 2.contra Gẽtes cap.70.Circa hoc multa dico. Primo S.THOM.in illo cap.70.satis aperte indicare si Cælum est animatum esse animatum ab anima, non ab intelligentia, nam intelligentiam ponit tanquam aliquod immotum, quod mouet veluti desiderabile, & veluti finis, animã vero dicit esse id quod desiderat, & mouet desiderando illud supersus immobile principium, & in specie dicit *cælum secũdum opinionem ARISTOTELIS esse compositum ex anima intellectuali, & corpore*, possum ergo explicare S.THOM. vna cum ALEX. opinione dicendo quod ponat in cęlo animam informantem, & intelligentiam assistentem. Deinde dico S.THOM. opinari hanc esse formam informantem in Cælo ideo non fauere opinioni Domini mei Collegę, qui ponit tantum assisten em esse intelligentiam, nam apud D. THO. in illo cap. 70. esse formam, est informare, & vniri secundum esse, vt constat etiam ex FERrariense loco citato. Et D. AVGVST. quando loquitur de hac re in 2. de Genesi ad literam cap. vltimo appellat *animas cælorum spiritus vitaliter inspirantes, sicut animantur carnes per animas animalium*; assistentes autem spiritus vocat *præsentes sine vlla permistione*. In summa intelligentia assistit, ideo neque est forma, neque Anima. Vltimo dico in opinione D. THOM. non posse fieri stabile fundamẽtũ quia in q. de spiritualibus creaturis a.6. negat cęlestia corpora esse vere animata, & tantum concedit in illis vnionem motoris, & mobilis, & in prima parte qu.70. ar. 3. in fine corporis dicit, *corpora cælestia non esse animata nisi æquiuoce*, quocirca non potest ex illo deduci intelligentiã,

aut

ut animam esse formam Cęli: ambigue enim de hoc loquutus est.

15. In Pag. 69. ex nobilitate naturæ corporis cęlestis, quæ creditur esse præstantior omnibus naturis inferioribus deducitur formam cæli esse intelligentiam; sed respondetur ex dictis in hoc eodem cap. 7. n. 10. si infra intelligentiam ponatur anima in cælo illud informans, futuram hanc naturam longe perfectiorem etiam anima humana. Videndā ibi scripta.

16. In Pag. 70. affertur hoc argumentum ad probandum intelligentiam esse naturam, *mouet physicę, & cum determinatione ad hunc motum faciendum ergo est vera natura.* Respondetur distinguendo illam particulam *mouet physice,* nam dixi supra hac eadem sect. cap. 4. n. 5. multis modis accipi posse quod aliquid sit naturale, vel moueat naturaliter; illis modis ibi consideratis addo nunc ex doctrina recentiorum Thomistarum videlicet ALVAREZ disp. 22. mouere physice aliquando significare, mouere *effectiue non moraliter*, aut in genere finis, ideo intelligentia potest dici mouere physice quia mouet effectiue. Ceterum melior expositio est, mouet physice, idest secundum naturam corporis ab illa moti atque ideo vocatur causa motus naturalis, non quod ipsa sit natura, sed quia mouet iuxta naturam corporis patientis: Intelligentia mouet physice nam facit motū naturalem Cœlo, & illius inclinationi congruum. Legantur scripta in sect. 1. c. 6. & 7. & consideremus ad hoc propositum doctrinā SIMP. 2. phys. Com. 56. in expos. t. 73. quæ *naturaliter mouent, intus mouent, illa mouent extrinsecus*, & *ita primum mouens à natura distinguit, non enim est naturale principium illud, sed naturalium*, ita declarat verba ARISTOTELIS in illo t. 73. *duplicia sunt mouentia physice quorum alterum non est physicum*. Et in Com. 54. eiusdem 2. phys. *causæ, quæ non mouentur non sunt naturales, cum sint immobiles, sed neque motus principium*

est

est vt natura, nam ipsa mota mouet. Hic videmus imtelligentias non esse naturas, quia natura mouet mota, intelligentiæ mouent non motæ.

17. In Pag. 72. prolixis verbis fit conatus ad ostendēdum definitionem naturæ allatam 2. phys. 3. conuenire posse intelligentijs. Ego breuiter hoc pertranseo in præsentia, quia iam dixi sect. 1. cap. 9. & 12. quale iudicium de hoc faciendum sit. Non conuenit illa definitio intelligentiæ, quia intelligentia est principium extrinsecum; natura principium intrinsecum, vt dixi sect. 1. cap. 2. Intelligentia est assistens non vnita essentialiter; natura est informans sect. 1. cap. 12. Intelligentia est in Cęlo, vt agens, non vt essentia cæli: Natura est in naturali, vt essētia sect. 1. cap. 3. Distat ergo maxime intelligentia ab illa definitione naturæ.

18. In Pag. 74. dicitur intelligentiam esse in Cælo, quod ipsa mouet, quasi ex eo fiat, vt moueat *id, in quo est*; sed laboramus in æquiuoco; intelligentia applicatur Cælo vt agens per contactum virtutis, est in Cælo vt in loco definitiue secundum ARISTOT. 1. de Cæl. 22. 8. phy. 84. imo in hoc suo libello hoc idē fatetur Dominus meus supra pagina 8. nō sufficit esse tanquam in loco ad hoc vt sit natura, debet esse per modum essentiæ, & veræ formæ dātis esse, vt latius sect. 1. cap. 3. Ostendat ergo Dominus meus inteligentiam esse Cæli esentiam & Cælo vnitam essentialiter, non sufficit esse motricē, hoc nuquam ostendet nisi dicat esse informantem.

19 In Pag. 76. conatur Dominus meus ostendere intelligetiam esse illam naturā gratia cuius dixit ARIST. 3. phy 1. sibi agendum esse de motu quasi hęc nō possit esse natura definita 2. phy. 3. Sed facile respondetur cōsiderando 3. phy. t. 1. & 2. ut considerat etiam Iacobus ZABAREL. in expositione t. 2. Duæ sunt rationes quare de motu velit

velit agere ARISTOTELES. Prior, quia confert ad definitionem naturæ definitę in 2. physſ. & hæc ratio minus principalis proponitur in 3. physſ. t. 1. Altera ratio eſt, & potior, & principalior, quia motus eſt paſſio rerum naturalium, & ideo diligentiſſime, & accuratiſsime explicanda in naturali philoſophia, etiamſi cognitio motus non conferret ad cognitionem naturæ; & hęc ratio proponitur in 3. phyſ. t. 2. & ſicuti dicit ZABAREL. ibi hæc ſecũda eſt vera ratio tractationis de his accidentibus. In ſumma agit de motu, & de alijs accidentibus non præciſe gratia Naturæ, ſed etiam quia ſunt paſſiones phyſicę in Phyſica accurate explicandæ, ita 3. phyſ. t. 2. Ad cognitionem vero intelligentiarum confert notitia motus quatenus eſt æternus, & hoc dixit ARISTOTELES 8. phyſ. t. 3. vbi obſeruo dixiſſe *eſſe opere precium conſiderare de motus æternitate ad duo, videlicet ad conſiderationem de natura, & ad methodum de primo principio*, vbi methodus de primo principio contradiſtinguitur à conſideratione de natura.

20. In Pag. 78. & 79. affertur S. THOM. doctrina de natura vniuerſali, & quia de hac re abunde dictũ eſt ſupra cap. 4. n. 7. ideo nihil addam.

21. In Pag. 80. affertur auctoritas ARISTOTELIS 4. met. t. 23. vbi immobiles intelligentias appellat naturas dicendo *quod enim eſt immobilis quædam natura oſtendendũ:* ſed reſpondetur per eundem ARISTOTELEM 5. met. t. 5. *metaphorice loquendo omnem ſubſtantiam appellari poſſe naturam*, atque ita Deus quoque, & intelligentię vocantur naturæ; conſideraui hoc latius in ſect. 1. cap. 1. 9. & 11. & in ſpecie hoc obſeruauit inter recentiores PENDASIVS bene legendus in textura phyſ. lib. 2. p. 11.

22. In Concluſione huius capitis dico nunquam fuiſse probatum ab Excellentiſs. Collega intelligentiam eſse vere naturam, quia ad hoc vt ſit natura debet mouere illud

idem suppositum, in quo est, non sufficit mouere corpus cui attribuitur, & applicatur veluti mouens assistens. Et quoniam fit ab eo vis in hoc modo loquendi, *intelligentia est in Calo, & mouet cælum, ergo mouet id, in quo est*, ego ad hoc tollendum obseruo dictum SIMPLICII in 8. phys. Com. 107. vbi de motore immobili ait *non esse proprie in Calo*, & ZABARELL. in 2. phys. expositione t. 3. sic loquitur, de hac eadem re *intelligentia non est principium motus in eo, in quo est, quia ipsa in nullo est, sicuti hic sumitur esse in alio, significat enim esse in alio, vt forma informans est in materia, & tunc dicitur principium internum eius motus*.

CAPVT OCTAVVM

1 IN Pag. 82. affertur prima ratio ad probandum Deũ esse proprie naturam, quia *est causa efficiens ac generans corpora naturalia*. De hoc iam dixi cap. 3. n. 4. 5. & 6. efficiens intrinsecum esse naturam; extrinsecum vero non proprie naturam, sed causam esse naturalem, de quo videantur dicta in sect. prima cap. 4. & 5. Deus autem est quidem causa efficiens rerum naturalium, sed extrinseca.

2. In eadem Pag. 82. affertur 2. ratio quia Deus est causa efficiens continuæ generationis, propterea natura. Sed respondetur eodem modo, perpetuam generationem sic esse à causa naturali, non autem proprie, & stricte à natura, quoniam dum resoluitur in causam extrinsecam, resoluitur in auctorem, & causam naturæ, non in naturam: vt late dictum est citato cap. 3. & in sect. 1.

3. In Pag. 83. affertur ratio 3. ARISTOTELEM de motu egisse gratia naturę idest Dei, & hæc est ratio allata

superiore

ſuperiore cap. n. 19. Reſpond. itaque vt ibi dixi, de motu accuratiſsime actum fuiſse ab ARISTOT. non gratia naturæ principaliter, ſed quia paſsio phy. non alibi quam in phyſica erat diligentiſsime pertractanda.

4 In pag. 83. affertur argumentum *Deus eſt in Mũdo ſicut intellectus humanus in homine, ſed intellectus humanus eſt natura in homine, ergo Deus eſt natura in Mundo*. Reſpõdi ad hoc argumentum cap. primo n. 8. & ſumma reſponſ. eſt nego paritatem, nam intellectus in homine eſt vera forma, ideo natura, ſed Deus in mundo eſt cauſa efficiens, & finalis extrinſeca; ideo non natura.

5. In Pag. 84. affertur 5. argumentum ex 2. de Cælo t. 56. additis ibi expoſitionibus SIMPLICII, & D. THO. Verum hunc t. & expoſitiones hic allatas conſideraui in ſectione prima cap. 9. ad quem locum remitto lectorem; apparet enim tam ex verbis SIMPLICII quam D. THOM. naturam ibi ab ARISTOTELE accipi improprie, & miror Excellentiſſimum Collegam in pagina ſua 85. citaſſe SIMPLICIVM mutilate, nam debebat proſequi verba SIMPLICII, quæ ſic dicunt *patet autem quod naturam nunc Deũ vocat ARISTOT., nam proprie ab ipſo dicta Natura principiũ motus, & quietis in quo eſt non ſolum prouidere non valet, ſed neque videre, &c.* Ecce quomodo SIMPLICIVS naturã proprie ſumptam contradiſtinguit à Deo. Non valet ergo hæc conſequentia, Deus habet prouidentiam rerum naturalium, ergo eſt proprie natura, ſufficit eſſe cauſam naturalem prouidentem ad extra.

6. In Pag. 85. affertur locus ARISTOT. ex 2. de generatione animalium cap. 4. vbi naturæ tribuitur prouidentia; Reſp. hinc non deduci Deum eſſe naturam, quia prouidentia conuenit quidem primario ipſi Deo, nihilominus cauſis etiam naturalibus communicatur, vt propterea ſæpe natura appelletur ſagax, prouida, artificioſa, vt non

 raro

raro legimus apud GALENVM, & apud PLVTARCH. Hanc rem ſatis diffuſe, & docte explicat BOETIVS in lib. 4 de conſolatione proſa 6. & ſequitur S. THOM. prima parte q. 116. a. 2. & 3. contra Gent. cap. 77. ALEX. etiã lib. de fato cap. 3. concedit prouidentiam naturæ, non tamen ibi naturam intelligit Deum, quocirca hęc conſequẽtia negatur, natura habet prouidentiam ergo Deus eſt natura, nam vtrique conuenit prouidere modo tamen diuerſo, Deo, vt cauſæ primæ, naturę vt cauſæ ſecundæ.

7. In Pag. 86. fit ſexta ratio ad idem probandum Deus mouet phyſice ergo eſt natura. Reſpondetur concludi tantum eſſe cauſam naturalem, quæ dicitur mouere phyſice quia mouet ſecundum inclinationem corporis moti, atq; ita quamuis non ſit proprie natura facit tamen motum naturalem, ei quod mouetur, vt late probaui in ſect. prima cap. 5. 6. & 7.

8. In eadem Pag. 86. & 87. affertur ratio ad probandũ non ideo mouere phyſice quia moueat iuxta inclinationẽ patientis, ſed quia *cum ſit natura, motus eius, & actio dicatur phyſica* non inſpecta propenſione vel habitudine mobilis, quia finis non mouet phyſice quamuis moueat iuxta inclinationem patientis: ſed reſp. mouere phyſice duo inuoluere primo mouere effectiue per modum veræ cauſæ agentis 2. conformari inclinationi patientis, præcipue quando mouens eſt extrinſecum. Fini deeſt illa prior conditio, mouet enim moraliter non phyſice, ſed Deus habet vtramque conditionem, mouet effectiue, & iuxta inclinationem mobilis, ideo phyſice. Videantur ea quę ſcripta ſunt ſupra cap. 6. n. 7. & cap. 7. n. 16.

9. In eadem Pag. 87. aſſeritur cælum mouere cuncta ſubcæleſtia phyſice, etiamſi moueat contra illorum inclinationem. Ego in hoc credo diſtinguendum, mouere phyſice multis modis poteſt intelligi primo vt phyſice contra-
diſtin-

distinguitur ab *artificioso*, 2. vt contradistinguitur, *à libero*. 3. vt contradistinguitur *à violento*; cælum si moueat contra inclinationem mobilis poterit mouere physice duobus illis prioribus modis, sed non mouebit physice 3. modo, quia mouere violenter non est causare motum physicum. Ex quo fundamento ego deduco argumentum efficacissimum ad probandum huiusmodi agentia extrinseca non esse veras naturas. Motus facti à vera natura semper sunt naturales, nunquã violenti, motus facti à cęlo in his inferioribus sæpe numero sunt violenti, vt conceditur in hac pagina 87. ergo cęlum non est natura rerum inferiorum, maior probatur ex lib. 8. phys. t. 27. vbi motus animalis progressiuus appellatur simpliciter loquendo naturalis, quamuis anima moueat aliquando corpus contra eiusdem corporis inclinationem, cum enim hic motus sit à natura, vt a principio intrinseco, numquam potest esse violentus, ex hoc signo ego cognosco quęnam sit vera natura, videlicet quæ in eo, in quo est semper facit motum naturalem nunquam autem violentum.

10. In eadem pagina 87. dicitur quod mouens nõ physicum ideo mouet physice, quia est *ipsamet natura, non habens naturam*; Et ego dico mouens non physicum qualis est Deus, *nec habere naturam, nec esse naturam*, quod non habeat naturam conceditur in hac eadem pagina 87. quod vero non sit natura probaui diffuse in sect. prima cap. 9. & nunc adduco tantum doctrinã SIMP. in 2. phys. Com. 54. vbi dicit, *quaecunque non mota mouent considerare prorsus nõ spectat ad naturalem*; & paulo infra, *sed neque motus principium est vt natura, nam ipsa mota mouet*; Si ergo natura mota mouet, & Deus non motus mouet, vtique sequitur vt Deus non sit natura.

Idem SIMPLICIVS 2. phys. Com. 56. in expos. t. 73.

sic

sic dicit *primum mouens a natura distinguit, vel ab his quæ mouent secundum naturam*, sed Deus est primum mouens, ergo secundum ARISTOTELEM a natura distinguitur; sed hęc consideraui in citato cap. 9.

11. In Pag. 88. dicitur quod motus factus à natura semper est physicus, & vice versa quod omnis motus physicus semper est à natura. Ego dico priorem illã propositionem esse veram, nam vt dixi vera natura in eo cuius est natura semper facit motum naturalem. Posteriorem propositionem nego, quia motus physicus potest fieri à causa efficiente quæ non sit natura, vt late probaui in sect. prima cap. 6. & 7.

12. In eadem Pag. 88. affertur hoc aliud argumentum motus consideratur, non solum vt est in mobili, sed etiam vt est à mouente, ergo vt est à mouente potest vocari physicus, abstrahendo omnino à mobili; sed facile respondetur distinguendo de mouente, aut est a mouente intrinseco, aut ab extrinseco, si ab intrinseco habet quod sit physicus motus, si ab extrinseco non iudicabitur physicus nisi inspecta inclinatione mobilis, quia extrinsecum vt sic est aptum natum facere etiam motum violentum, & nisi concurrat inclinatio patientis, motus nunquam erit naturalis. Hoc consideraui, & probaui in sect. prima cap. 6.

13 In pag. 90. affertur locus AVERR. ex 8. phy. com. 27. in quo dicit AVERR. *motum Cœli esse naturalem simpliciter, & per animam, & per corpus*, ex quo deducitur ratione mouentis naturæ motum appellari posse naturalem. Respondeo duobus modis, & primo secundum opinionẽ dicentium AVERR. existimasse Cælum esse vere animatum, anima enim (hoc supposito) esset forma Cęli propterea mouens intrinsecum, & vera natura & ab illa motus fieret naturalis, secus si esset principium extrinsecum: probabilem

autem

autem reddunt hanc opinionem varia loca, & testimonia AVERR. vt 12. meta. com. 41. vbi ponit animam in Cælo distinctam à motore, qui non est potētia in materia; 12. meta. com. 36. vbi appellat hæc corpora animata; 3. de anim. com. 14. vbi tribuit cælestibus corporibus intelligere, in libro de substantia orbis cap. 4. vbi corpori æterno tribuit animã; & 8. meta. com 12. vbi corpori cælesti cōcedit cōpositionem ex corpore, & forma animata intelligibili, vt notaui cap. 7. n. 9. Ita ergo explicando AVER. possumus facile sustinere motum Cæli dici naturalem etiam ex parte animæ; Altera expositio est, si dicamus in Cælo nō esse nisi intelligentiam abstractam, motus erit naturalis ex parte huius intelligentię, non quia intelligentia sit natura, sed quia *est determinata ad mouendum per modum naturę*, & non mouet ex arte, sed ex propensione sua determinata ad mouendum, vt etiam VICOMERC. notat in expositione t. 73. lib. 2. phys. Et hoc fortasse voluit significare AVER. in 2. cap. de substantia orbis dum dixit *esse proprium istius animę mouere circulariter* nam in principio etiam quod nō est natura esse potest determinatio, & inclinatio per *modũ naturæ*. Videri possunt quæ scribit ZIMARA ad hoc propositum super 8. phys. contradict. 8. vide etiam D. THO. 1. p. q. 41. art. 2.

14. In eadem Pag. 90. ex eo probatur Deum esse naturã quia appellari solet *natura parens*, *&c*, Iam dixi sect. 1. c. 11. quid sentiendum sit de his vocibus videlicet de *natura naturante*, *de natura parente* non significant enim propriã naturam, sed naturæ auctorem, & causam. Videantur quæ scripta sunt in hac eadem sect. 2. cap. 4. n. 7. de natura vniuersali.

15. In Pag. 92. affertur etiam ratio ad probandum Deum esse naturam, quia est causa producens, & generans compositum naturale, &c. De hoc iam dixi cap. 3. n. 5. & 6. vi-

6. videantur, quæ ibi allata sunt; efficiens extrinsecum nũquam appellari debet natura, sed tantum causa naturalis.

16. In eadem pag. 92. affertur explicatio quædam t. 26. 2. phys. in quo habetur illa propositio, *Sol, & homo generant hominem*, & nomine solis dicitur significari Deum cuius est infundere animam intellectiuam, & hoc longissima oratione vsque ad finem capitis exponitur. Hic paulisper insistendum est, nam credo hanc expositionem nullo modo admittendam, non solum quia inaudita fere est, & distans à communi expositorum sensu, verum etiam quia credo repugnare instituto, & intentioni illius t. Intendit ibi probare ARISTOT. physicum debere considerare formas, quę sunt in materia, & non quo ad omnes conceptus, & formalitates, sed tantum quoad quasdam videlicet, *vt sunt naturæ, principium motus, terminus generationis*, & quoad alia huiusmodi, sed conceptus metaphysicales, qui fieri possunt de his formis sunt ommittendi à physico, vt *an istæ formæ sint tota quidditas suorum compositorum, an sint nobiliores, & perfectiores suis compositis*, & alia huiusmodi. Vt probet formas à physico considerandas esse in materia facit arg. vt etiã obseruat S. THO. 1. p. q. 76. art. 1. ad 1. ductũ a causis efficientibus. Quod producitur à causis existentibus in materia est materiale, & habet formam in materia, sed res physicę producuntur ab agentibus materialibus ergo debent esse materiales, & formę in materia, probatur minor propositio exemplo hominis; qui à physico consideratur, ideo enim homo existimatur esse aliquid materiale, & habere formam in materia, quia generatur à causis materialibus idest ab homine, & à Sole. Ista expositio communiter approbatur ab omnibus grauissimis expositoribus, vide inter recentiores ZABAR. et PICCOLOM. in illo t. 26. ita vt mihi vix videatur licere ab illa recedere. PHILOPONVS sic dicit in hac expositione;

Idcirco

Idcirco hic forma ponitur & est; sed sufficere putabit assignare causas non sine materia, quoniam homo, & sol generant hominem, obseruo illam particulam, *hic assignari causas non sine materia*, ideo Sol non affertur, vt significetur Deus, qui est causa non in materia, sed affertur ad significandum corporeum solem in materia existentem. SIMPLICIVS 2. phys. Com. 20. ad idem respiciens sic dicit, *apparens quoque sol, & ipse materialis causa est*. THEMISTIVS super illum t. 26. *quod autem formæ naturales sint omnes in materia constitutæ ea ratio astipulatur; quia quæcunque gignuntur, & oriuntur similia his proueniunt vnde sunt genita, nam & hominem homo gignit, & sol, vt videri possit vnaquæque efficiens causa in materia esse collocata, tam ea quę proxima ad inuentaque est homo, quam ea quæ remota, Sol.* Explicare itaque Solem pro Deo est destruere vim huius argumẽti, quia si causatur homo à causa immateriali, non potest hinc deduci esse in materia.

17. Deinde obseruo ARISTOTELEM dixisse *hominem generare hominem*; secundum expositionem Excellentissimi Dni. traditam pagina 94. & sequentibus non potest dici *homo generat hominem*, sed tantum generat viuens, & generat animal, & probatur hoc argumento. Per animam vegetatiuam constituitur viuens, per sensitiuam constituitur animal, 2. de anima t. 14. & 16. homo secundum hanc opinionem Domini mei concurrit tantum ad productionem animæ vegetatiuæ, & sensitiuę, ergo tantum ad constituendum viuens, & animal, hominem vero non producet homo, sed producet solus Deus, qui infundendo animam intellectiuam illam vnit corpori, sed contrarium docet ARISTOTELES pluribus in locis nam ommisso Sole sæpe tribuit homini generare hominem, vt secundo phys. t. 13. & 70. primo de Gen. 30. 12. met. 13. 18. & 24. modum autem, quo sit intelligenda hæc propositio in ri-

gore bonę philosophiæ declarant S. THOM. 3. de potentia art. 9. ad 2. FERRARIENSIS 3.contra Gent.cap.89. in solut. 4. BANNES in Com. primę partis quæst. 118. art. 2. in solutione 4. & nouissime Auersa qu. 57. sect. 3. dicentes hominem quamuis non attingat substantiam animæ intellectiuæ, quę a Deo creatur, concurrere tamen ad vnionem huius animæ cum corpore, per ipsam vnionē fit homo, sed ad hanc ipsam vnionem concurrit in suo ordine materialis Sol tamquam causa vniuersalis, ergo nomine Solis in illo t. debemus intelligere materialem Solem. Nō excludimus propterea concursum Dei, sine quo nulla secunda causa operari potest, sed dicimus in illo t. 26. non considerasse ARISTOTELEM hunc concursum causæ primæ, sed tantum actionem causarum materialium, quia hoc conferebat proposito illius textus, probantis formam Physicam esse in materia, quia efficiens, vel vniens causa est in materia.

18. In Pag. 97. & 98. affertur ratio ad improbandum, & refellendum communem expositionem t. 26. quæ ratio huiusmodi est, *rationalis anima non accedit ministerio seminis ergo Deus hominis generationem promouet tribuendo animam intellectiuam*. Sed respondeo ex dictis concedo hominem non producere animam intellectiuam, sed dico concurrere ad vnionem eius cum corpore, ideo proprie loquendo homo generat hominem, & hoc considerat ibi ARIST. vide numerum 17. huius capitis.

19. In Pag. 99. petit Excellentiss. Collega cur ARISTOTELES potius de homine quam de alio viuente, aut naturali ibi exemplum attulerit. Resp. ARISTOTELEM potuisse de omni alio viuente hoc dicere, nam Sol etiam, & equus generant equum; placuit tamen afferre exemplū hominis ob rationem quam adducit AVERR. in illo Cō. 26. & obseruauit etiam PICCOLOMINEVS in Com.

illius

illius t. 26. quia de forma hominis minus videtur illam esse in materia cum sit præstantissima, & tamen est in materia, quia vnitur materiæ, a causis efficientibus materialibus. Dicit AVERR. *voluisse hic assignare ARISTOTELEM vltimam formam ad quam Physicus peruenire potest.* quæ cũ sit in materia indicat manifeste omnes alias formas naturales multo magis esse in materia cum sint inferiores anima humana.

20. In eadem Pag. 99. affertur ratio quod de alijs formis infra humanam animam non potuerit ARISTOTELES vsurpare, & affirmare id quod dixit de anima humana, quia cum sint formæ mere materiales, & corruptibiles totaliter, & omnimode considerantur à physico *non vsque ad aliquid*; sunt enim inseparabiles omnino a materia. Respond. vna cum ZABARELLA in Com. illius t. 26. imo cum sensu omnium pene philosophorum præcipue cum S. THOMA 6. met. lec. 1. in exposit. t. 2 & cum AVERROE 7. metaph. c. 5. formas corruptibiles physicas non considerari omniquaque a physico, *sed vsque ad aliquid*, id est non secundum omnes conceptus, sed quatenus *sunt naturæ*, nam quatenus entia, quatenus quidditates non considerantur à physico, sed à metaphysico iuxta vulgatam doctrinam 1. met. cap. 2. vide ZABAREL. & PICCOL. in expos. illius t. 26.

21. In eadem Pag. 99. affertur ponderatio illius t. 26. in illis verbis; *quomodo autem se habeat hęc separabilis, & quid sit philosophiæ primæ est officium determinare*, vbi explicatur illa particula *hæc* quasi indicet animam intellectiuã, quæ vt separabilis à metaphysico est consideranda. Sed resp. vna cum ZABAREL. in illo eodem Com. 26. illam particulam, *hæc*, male poni in nostro textu vulgato, sed esse legendum *quomodo autem se habeat ea, quę separata est, &c.* quocirca apertum est ARIST. his verbis non signifi-

ficare animam intellectiuam, sed intelligentias separatas; atque ita legendum esse patet ex multis editionibus illius t. & ex meliorum philosophorum expositionibus. In Io. ARGYROPY. editione sic legitur hic locus; *quo vero modo se se habeat separabilis forma &c.* THEMIST. hunc locũ declarans sic dicit, *vtrum autem aliquæ formę habeantur quę secundum substantiam à materia sint abiunctę &c.* vbi videmus illud separabile non referri ad animam intellectiuam sed ad intelligentias, quæ sunt metaphy. cosiderationis. D.THOM. in 2. phy. lect. 4. in fine; *Sed quomodo se habeant formę totaliter à materia separatę &c.* In summa verba illa nõ sunt referenda ad animam intellectiuam. Quod si quis obijciat intelligentias non esse separabiles, sed separatas; vt legimus 1. lib. de anim. t. 17. Resp sæpe numero pro eodem accipi separabile & separatum, & probatur per 6. met. t 2. vbi metaphys. dicitur esse circa separabilia, & immobilia; & in expositione illius loci constat tam ALEX. quã S.THOM. pro eodem accipere *separabile, & separatum.* Extat etiam aliud testimonium ARIST. 12. met. t. 5. vbi mathematica, & ideæ, quæ secundum antiquos erant entia separata, appellantur separabilia.

Fortasse posset huc applicari doctrina ARISTOTELIS 2. Perihermenias cap. 3. vt omne necessarium est possibile, ita omne separatum est separabile, non autem vice versa.

22. In Pag. 100. asseritur ARISTOTELEM censuisse *animas humanas ab ęterno fuisse conditas à Deo, in tempore autem infundi, & copulari fœtui, qui animatur.* Vere circa hoc maxime cogor dubitare, mihi enim sese offert t. 16. lib. 12. met. in quo distinguit ARISTOTELES causam formalem ab efficiente, quia efficiens potest esse ante suum effectum tempore, sed causa formalis simul est cum eo, cuius est causa formalis; si ergo anima humana est vera forma non poterit præfuisse tempore, & duratione ante cor-

pus

pus ab illa animandum, & adduco super illum t. 16. obseruationem D. THO. 12. met. lect. 3. *non excipit inquit animam intellectiuam, à generalitate aliarum formarum quantum ad hoc quod formæ non praexistunt substantijs compositis, sed solum quantum ad hoc, quod non remanent post substantias compositas*. Regula ergo quæ dicit *forma non est ante compositum* inuoluit etiam animam intellectiuam, quæ tantum excipitur quoad non posse remanere post corpus, non quoad posse existere ante corpus. ALEX. de Ales super illum t. 16. & 17. sic ait; *notandum est quod sententia Philosophi est ista, quod de essentia cuiuslibet formæ est quod incipiat esse cum substantia composita; sed tamen aliqua forma est quæ potest habere esse post substantiam compositam sicut est intellectus*. Hanc materiam valde philosophice tractat S. THO. in 2. contra Gent. cap. 83. & ibi FERRARIENSIS: in prima parte qu. 90. art. 4. cuius rationes etiam assumit PERERIVS in Genes. lib. 4. cap. 2. n. 112. & SVESSAN. 1. de intellectu tract. primo cap. 20. adducit ad hoc idem rationes non contemnendas. Si anima rationalis esset assistens vt vult (sed falso) AVERROES facile esset intelligere illam fuisse ante corpus; secundum quam opinionem hoc defendit CHRISTOPH. Marcellus lib. 5. de anima cap. 23. sed si anima est vera forma informans, vt certissimũ est, vix est credibile illam ante corpus extitisse. Verum hoc ad nostram disputationem non spectat, ideo relinquatur.

23. In eadem pag. 100. obseruo dici Deum generare hominem *quia conciliat fœtui rationalem animam*: Ex hoc ego deduco hominem quoque generare hominem, vna cum Sole materiali, quia homo est causa huius vnionis. Videantur scripta hoc eodem cap. n. 17.

24. In Pag. 101. concluditur Deum esse proprie naturã sub ratione causæ efficientis entia naturalia. Sed ego nego totam hanc conclusionem, cum Deus sit efficiẽs extrinsecum,

secum, & remitto lectorẽ vt attente consideret dicta in c. 3. n.4. & sequentibus ibi videbit quale efficiens sit natura; legat etiam sect. primam cap.4. & 5.

25. In eadem Pag. 101. Auctoritate D. AVGVS. probatur Deum esse naturam, sed mirabilis est hic transitus a stricta, & propria significatione naturæ ad latam, & impropriam, loquitur AVGV. modo Academico, & Theologico; nos physice, & stricte: videantur scripta in sect. prima cap. primo.

CAPVT NONVM.

IN Pag. 101. adducitur ratio ad probandum Deum esse naturam. *Finis cuius gratia est motus naturalis est vere natura, Deus est finis huiusmodi, ergo est vere natura*; huic argumento iam respondi supra cap. 3. n. 10. 11. & 25. negando omnem finem rerum naturalium esse naturam, finis internus, & qui est forma est vere natura, Deus est finis extrinsecus.

2. In Pag. 102. ex 12. met. 36. & 37. deducitur argumentum ad probandum Deum esse finem. Ego non nego Deum esse finem, sed dico non esse illum finem qui est natura, & postquam deuenimus ad 12. met. t. 37. audiamus quæso doctrinam D. THO. ibi lect. 7. dubitat ARISTOTELES ibi *quomodo in immobilibus possit esse finis, Deus enim est immobilis, finis autem est in rebus mobilibus*. Distinguit S. TH. duplicem finem alterum præexistentem ante actũ, alterum qui per actionem generatur; hic posterior finis est natura, Deus est finis priore modo, ideo non natura, obseruaui hoc cum eodem D. TH. in cap. 3. n. 11.

3. In Pag. 104. adducitur t. 52. lib. 12. met.; verum ibi

aper-

apertiſſime conſtat Deum eſſe finem extrinſecum, ſicuti eſt Dux in exercitu, & propterea huiuſmodi finem non eſſe naturam. Videantur ſcripta cap. 3. n. 11. negatur ergo conſequentia Deus eſt ita finis, ergo Natura.

4. In eadem Pag. 104. adducitur t. ex primo met. ſum. 2. cap. 2. vbi Deus dicitur eſſe in mundo ſicuti intellectus in homine, quocirca ſicut intellectus in homine eſt finis, ita & Deus in mundo; ſed reſpondetur illam eſſe proportionalem quandam ſimilitudinem, non adęquatam in omnibus, quoniam intellectus in homine eſt forma intrinſeca, dans eſſe ideo eſt finis etiam internus, & vera natura, ſed Deus eſt in mundo tanquam agens, conſeruans, mouens, & ideo vt cauſa extrinſeca, ſicut late probaui ſect. prima n. 10. & quod ille t. in primo met. ſum. 2. cap. 2. non fecerit adęquatam comparationem in omnibus ſed tantum in genere cauſſæ efficientis late probaui cap. 1. n. 8. ad quem locum remitto Lectorem.

CAPVT DECIMVM.

1 IN pag. 105. aſſeritur Deum *eſſe formā mundi*, & propterea eſſe naturam. Reſpond. negando illud antecedens, & quia de hoc dixi in ſect. 1. cap. 10. & in hac ſectione 2. cap. 1. n. 10. ideo ad illa loca remitto Lectorem: Interim ſufficiat dicere non niſi improprie, & per ſimilitudinem, & per proportionem Deum poſſe dici formam mundi.

2. In eadem pag. 105. affertur t. ex 1. met. ſum. 2. cap. 2. vbi Deus dicitur eſſe in mundo ſicut intellectus in homine. Sed iam iſte t. ſæpius repetitus explicatus à me fuit in cap. 1. n. 8. videantur ibi ſcripta. Concludit tantum cōpara-

parationem in genere causę efficientis, non in genere causæ formalis.

3. In pag. 106. & paulo post in 110. adducitur t. sæpe notatus, nempe 49. lib. 12. met. in quo Deus appellatur *quod quid est*, & ex vnitate Dei colligitur vnitas mundi: sed dico hunc t. non probare Deum esse formam mundi, & quia explicaui hunc locum satis diffuse supra cap. 1. n. 11. ideo ad illũ locum Lectorem remitto; est argumentum ab effectu adæquato, ad suam causam efficientem.

4. In pag. 107. affertur noua ratio ad probandum Deũ esse *formam mundi*, & fit fundamentum in 9. ethic. cap. 4. credo rationem sic construi posse. *Quod est quodcunque bonum est forma mundi, quia mundus est totum quid, & omnia in se complectẽs, & debet denominari à sua parte potiore, idest à forma, sed Deus est quodcunque bonum, & omne bonum 9. Ethicor. cap. 4. ergo Deus est forma mundi*. Huic argumẽto dupliciter respond. primo illum t. in 9. eth. cap. 4. non facere ad rem nostram, quia inde non habetur Deum esse omne bonum, siue quodcunque bonum, ponderemus verba illius t. *habet enim etiam nunc Deus bonum, sed cum sit ipse id quodcumque est*. EVSTRATIVS optimus expositor refert germanum intellectum illius loci; *sed habet quidem bonum Deus, sed permanens id quod est*, sensus est iste, vnũquodque sibi vult bonum suum dummodo permaneat in eo esse, in quo est, nam si mutaretur in aliud esse profecto non appeteret bonum, quod prius appetebat. Deus etiam habet suum bonum, dummodo maneat in eo esse, quod habet, & sit id, quod est: hic sensus manifeste apparet in alijs editionibus illius loci præcipue in interpretatione LAMBINI: *obtinet enim nunc quoque Deus verum bonum, ita tamen vt sit id quod est, quidquid tandem sit*. Sed quia aliunde constat Deum esse summum bonum, & esse quodcunque bonum, ideo altera responsio est, concedo Deum

esse

esse omne bonum, sed nego propterea fieri, vt sit forma mundi, imo dico si esset forma mundi non posset esse omne bonum, quia esset ens limitatum, & finitæ perfectionis Docte AVERR. disp. 10. ad 3. Deus est omnia entia, sed non est forma disp. 3. ad 5. Bene discurrit S. THO. in prima parte qu. 4. ar. 2. *ideo Deus est summum, & perfectũ bonum quia est esse per se subsistens, ex quo oportet vt totam perfectionem essendi in se contineat, sicut si esses calor per se subsistens non posset ei deesse aliquid de virtute caloris*, at si poneretur forma mundi, proprie loquendo, non esset suũ esse subsistens, sed potius esset inexistens, nam forma dicitur esse in subiecto, 2. phy. t. 4. idem D. THO. 1. contra Gentes cap. 26. si Deus esset esse omnium, non esset super omnia, vt vere est.

5. In Pag. 108. affertur alia ratio quia videlicet *causa ordinis est natura, Deus est causa ordinis ergo Deus est natura*; Resp. istam propositionem esse veram, *natura est causa ordinis*, & habetur in 8. phys. t. 15. sed non est vera conuersa vniuersaliter loquendo, *omnis causa ordinis est natura*, quia causa ordinis potest esse aliquid extrinsecum rebus ordinatis, & non erit natura, huiusmodi autem est Deus, qui ordinat res naturales, non tanquam natura, sed tanquam naturæ auctor, & causa, videantur conclusa in cap. 1. n. 5. in cap. 3. n. 4. cũ multis sequentibus; inde cognoscemus Auctorem ordinis rerum naturalium posse esse aliquid supra naturam, & applicetur huic rei t. ille 52. lib. 12. metaph. vide supra Cap. 4. n. primo.

6. In Pag. 110. fit magnus conatus ad probandum Deũ *esse animam mundi*, & adducitur t. 46. lib. primi de anima. Sed vere ille t. non probat intentum, quia est tantum relatiuus, & confutatiuus opinionis Platonicæ de anima mundi, quam non approbat ARISTOTELES, ostendit tamen in illo t. inconuenienter, & repugnanter suis prin-

cipijs de hac anima loquutum fuisse PLATONEM. Consulamus expositores illius loci. THEMIST. sic ait *animā mundi talem esse vult TIMEVS, qualis est sola nudaque mens*: hęc est positio PLATONIS, at simul etiam dicebat PLATO hanc animam esse magnitudinem, hoc reprehendit ARISTOT., quia intellectus non potest esse magnitudo, anima mundi ex PLATONE est intellectus, ergo nō est magnitudo, quocirca THEMIST. *sane primo loco id reprehendimus, quod animam magnitudinem faciunt, tanto grauius, quod de rationali loquuntur*. Omnes quos viderim expositores dicunt hic ARISTOT. argumentari contra PLATONEM qui ponebat hanc animam mundi, ipsum autem ARISTOTELEM huiusmodi animam non approbare, quocirca dum Dominus Collega meus in hac pag. 110. dicit *anima, quæ circulari motu mouet est primus motor*, nego hanc propositionem, & dico primum Motorem, qui mouet circulariter non esse animam mundi, sed motorem separatum, vt dicebat AVER. de substantia orbis cap. 3. *absolutum ab omni materia*. Credo me satis ostendisse Peripateticis ignotā esse animam mundi: videantur scripta cap. 1. n. 3.

7. In eadem Pag. 110. affertur ratio ad idem probandum: *quod tribuit esse viuenti est anima, Deus vt primus motor tribuit esse, & viuere omnibus rebus, & probatur min. ex primo de Cælo t.* 100. Sed responsio est in promptu, laboramus in ęquiuoco, dare esse, & viuere duobus modis intelligitur *formaliter, & effectiue*, Deus dat esse omnibus effectiue, & hoc probat tantum t. 100. primi de Cælo, anima dat viuere formaliter: Legendus ALBERTVS de motibus Animalium lib. 1. Tr. 1. cap. 2. Videantur scripta in sectione prima cap. 10. & 12. Deo enim repugnat dare vitam *formaliter*, sed *effectiue* dare vitam, non dicit imperfectionem in Deo, non erit ergo anima, sed auctor, & causa effe-

sa effectiua animæ formaliter viuificantis.

8. In Pag. 111. asseritur mundum animatum esse constitutum ex omni corpore sensibili, & naturali tanquam ex materia, & *ex summo Deo, tamquam ex anima, quæ in eo viuente sit forma*. Hoc ego apertissime nego. scio enim Deum non venire in compositionem cum aliqua re, & sicuti vere dicunt Theologi scio, & assero Deum neque esse compositum, neque componibilem, vt vocant. RICARDVS in 1. dist. 8. art. 3. qu. 2. ait omne quod in compositionem venit cum alio deficere a summa simplicitate. D. TH. in 3. dist. 6. qu. 2. art. 3. ad 3. & ad 4. Deus inquit nō est cōponibilis. Diuinitas pars esse non potest. Primo contra Gentes cap. 23. Deus non est pars mouentis seipsum. Determinauit hoc multis rationibus ex intima philosophia petitis idē S. THOM. prima parte qu. 3. a. 8. & primo contra Gen. cap. 27. cui non credo in hoc proposito tutum esse contradicere; videantur ea, quę scripsi in sect. prima cap. 10. & in hac sect. 2. cap. 1. n. 10.

9. In eadem Pag. 111. adducitur t. ex 6. ethicor. cap. 7. vbi dicit ARISTOTELES *aliqua esse natura sua longe diuiniora homine, vt ea quæ sunt manifestissima, ex quibus mundus constitutus est*. Affertur interpretatio quod per hæc manifestissima intelligatur Deus. Ego vere miror ad hos sensus trahi textus ARISTOTELICOS, nam constat ibi ARISTOTELEM per manifestissima ex quibus mundus constitutus est intelligere corpora cælestia: audiamus EVSTRATIVM, *cælestia corpora super humanam conditionem esse PLATONICI dicunt, sed ARISTOTELES hic sola ea assumit, quæ sunt manifestissima ex quibus mundus constitutus est, ea autem sunt cælestia corpora*. D. THOM. lib. 6. ethicor. lect. 6. declarando hunc eundem locum sic dicit *& vt ipsa taceamus de Deo, & substantiis separatis, quæ non subiacent sensibus, etiam ipsa, quæ manifestissima sunt sensui,*

ex quibus constat mundus, scilicet calestia corpora, sunt homine potiora. Cur ergo discedere volumus ab approbata meliorum sententia? Quod si quis dicat cælestia corpora non esse diuiniora homine. Respondet EVSTRATIVS in illo cap. 7. lib. 6. ethicor. Gręcos censuisse cælestia corpora esse animata, & habere animam præstantiorem anima humana, propterea esse diuiuiores substantias; sed non ideo sequitur vt anima cælorum sit Deus, sed vt sit aliqua substantia de genere intellectualis naturæ inferior Deo, & intelligentijs separatis, de qua re videantur scripta supra cap. 7. n. 9. & 10.

10. In eadem Pag. 111. affertur ratio ad probandum per *manifestissima ex quibus mundus constitutus est intelligi Deum, quia Deum esse, per se notum est*, & esse causam omnium, & formam cuncta perficientem. Circa hoc vtendum credo distinct. D. TH in prima parte q. 2. art. primo esse quidem notum in se, & secundum se Deum esse, sed non nobis, qui ad hoc indigemus medio, & demonstratione a posteriori, sed esse corpora cælestia vere manifestissimum est etiam nobis; quo circa S. THOM. 6. ethic. lect. 6. ideo interpretatur per manifestissima cęlestia corpora, quia sunt sensui manifestissima quasi dicamus etiam nobis nota, sed Deum esse cognouimus vi demonstrationis ab effectibus vt patet ex progressu lib. 8. phys.

11. In eadem Pag. 111. affertur alia ratio vt probetur Deum esse formam, *quia complet compositum naturale*, sed hic non est immorandum nam labor est in æquiuoco, Deus complet *effectiue*, causando generationem 2. de gen. 59. non complet *formaliter*, sicuti complere debet vera forma: ita dixi supra hoc eodem cap. n. 7. ex probatis in sect. prima cap. 10. & 12.

12. In Pag. 112. fit repititio t. 49. lib. 12. met. sed ego iam sæpius dixi illum t. non probare Deum esse formam,

vide-

videantur ea, quę adduxi supra cap. 1. n. 11.

13. In eadem Pag. 112. affertur alia ratio hunc in modum, *continere est proprium solius formæ, & animæ, Deus continet ergo Deus est forma, & anima*. Sed resp. negando maiorem propositionem, nam continere conuenit etiam causę efficienti secundum ARIST. 4. phys. t. 23. Deus continet omnia, saltem eminenter, quatenus est causa æquiuoca, vt optime declarauit S. TH. prima parte qu. 4. ar. 2. & quia citatur ad hoc propositum t. ex 7. polit. cap. 4. lætor hunc t. probare tantum Deum continere per modum causę efficientis, dicit enim *esse opus diuinæ potentiæ, quæ continet hoc totum*: potentia diuina est actiua ideo Deus continet tanquā causa effectiua æquiuoca, propterea ordinis superioris

14 In eadem pag. 112. affertur ratio, quę dilatatur etiam per pag. 113. *pars præcipua ī toto est forma, Deus est mūdi pars præcipua ergo Deus est forma*. Ad hoc resp. Deum nō appellari partem mundi proprie, & stricte, vt notaui supra hoc cap. n. 8. & cap. 1. n. 5. vbi ponderaui etiam hunc locū ex libel. de mundo cap. 7. & explicaui per cap. 2. eiusdem libell. nam vere Deus est princeps, & causa mundi, non autem pars, indignum enim est diuina perfectione fieri partem alicuius rei, quocirca optime loquutus est D. THOM. 1. cōtra Gēt. cap. 26. in fine dicens *Deū nō esse in rebus quasi aliquid rei, sed sicut rei causam, quæ nullo modo suo effectui deest*; & addit non enim similiter *esse dicimus formam in corpore, & nautam in naui*, concedens Deum esse in hoc mundo veluti nautam in naui, sed non veluti formam in corpore, at esse partem indicat quasi esse formam, ideo nego esse partem. Lege ALBERTVM; de causis, & processu vniuersitatis lib. 1. Tract. 1. cap. xi. Quod si quis velit aliquo modo dicere Deum esse partem mundi ego propono modum, quo docte, & sane hoc poterit affirmare, & accipio a D. TH. 3. parte qu. 2. ar. 4. ad secundam ratio-

ne

ne numeri potest intelligi aliquod esse compositum, & eius esse partem, sic Deus potest dici pars; numeramus enim duo genera entium dicendo, alia sunt materialia, alia immaterialia, huius distinctionis pars est ens immateriale, sic dicimus in tota entium vniuersitate sunt Deus, & natura creata, Deus est pars huius distinctionis, & ponitur in numero cum ente creato, alio modo Deus non est pars; supra hoc eodem nostro cap. n. 8. satis hoc explicatum est. vide AQVAR. 7. metaphys. Dilucidatione 5. Cognosce Deum non esse partem mundi essentialem, & nota Deum esse totum non partem 1. p. qu. 60. art. 5.

15. In Pag. 114. repetitur argumentum quod supra etiam tactum est in pag. 112. nempe *continere est forma, Deus continet totum mundum*, ergo debet esse forma mundi; iam responsum est huic argumento supra hoc eodem cap. n. 13. peccari in ęquiuoco, quia quamuis aliquid cōtinere sit formæ, non tamen omne quod continet est forma, obseruemus quæso varia testimonia ARIST. tribuit formæ continere in 3. phys. 67. primo de anima 82. & 90. tribuit etiam loco 4. phys. 14. & 30. & tamen locus non est forma: tribuit fini tanquam rei perfectæ 2. de Cælo t. 2. vbi legendus est S. THOM. sed maxime hoc conuenit agenti causæ pręcipue æquiuocæ, & superioris ordinis vt constat ex 4. phys. 23. 8. phys. 47. vbi legendus AVER. & 2. de gen. t. 50. præcipue secundum expositionem EGIDIJ, Cælum enim vt causa æquiuoca omnium rerum sublunarium dicitur illas continere sua virtute effectiua, & productiua, ita quoque Deo conuenit continere vt efficienti æquiuoco, & hoc aperte etiam dicit ARIST. lib. de mundo cap. 7. illis verbis, *cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet*, & loquitur ibi de Deo.

16. In eadem Pag. 114. deducitur argumentum ideo Deum esse animam mundi, *quia est in omnibus, & omnia in*

ipso, & ad hoc probandum adducitur t. ex lib. 7. moral. ad Eudemum cap. 18. *quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo, &c.* Hoc etiam argumentum laborat in æquiuoco, nam esse in alio multis modis potest intelligi pręcipue ad propositũ nostrũ faciũt duo modi videlicet esse vt formã, & vt causam agentẽ Deus est quidẽ in omnibus rebus non tamen tanquam *forma*, sed tanquam *agens*, ita statuit verissime S. TH. prima parte qu. 8. ar. primo, in primo contra Gent. cap. 26. in fine: *non est, inquit, Deus in rebus quasi aliquid rei, sed sicut causa, qua nullo modo effectui deest*, & in 3. contra Gent. cap. 68. vbi tribuitur Deo esse in rebus per modum causæ efficientis, habet ergo immensitatem Deus, & propterea est vbique, nullius tamen est forma, videantur late disputata in sect. prima cap. 10. Et quoniam citatur t. vt dixi ex lib. 7. ad Eudemum cap. 18. ego ostendo illum t. tantum probare Deum esse in omnibus tamquam agentem causam, & non veluti formam. Verba eius sunt hæc. *Quod perinde est ac si principium motus in anima quid sit inquiratur, patet autem sic esse, quemadmodum in vniuerso est Deus, & vicissim cuncta in illo, mouentur enim omnia ab inexistente in nobis numine.* Audiamus expositorem illius loci EGIDIVM in libello de bona fortuna, circa finem, *Deus inquit potest mouere intellectum nostrum, & facere impetum in ipso, vt actu intelligat, & actu consilietur.* His verbis apparet vis effectiua huius causę in nobis; paulò post exponit reliqua verba t. *motus facti in anima nostra reducuntur in Deum tãquam in primum principium, quemadmodum enim Deus est principium motus in toto vniuerso, per consequens mouet intellectum nostrum, & est principium faciens impetum, & motum in anima nostra.* Quis non videt, vt concludit EGIDIVS, rationẽ esse à vi causæ efficientis non formalis sic arguendo, Deus mouet omnia in mundo ergo mouet etiam animas nostras

ſtras, & eſt in illis vt motor.

17. In Pag. 115. & 116. affertur ratio quia mundus cõſtituitur in ſuo eſse participatione Dei, quaſi *Deus conſtituat mundum, conſtituere autem eſt proprium formæ.* Sed reſpondetur facillime, labor eſt in ęquiuoco; conſtituere duobus modis accipitur nempe *effectiue*, & *formaliter*, Deus conſtituit effectiue; forma formaliter, videantur ſcripta in ſect. prima cap. 10. & 12. & apparebit actum aſſiſtentē nõ conſtituere, Deus autem ex confeſsione Excellentiſs. Collegæ tantum eſt aſſiſtens, vt patet in eius libello pag. 146. & 148.

18. In eadem Pag. 116. adducitur vltima ratio, & concluditur caput; *Deus eſt cauſa quietis, & immutabilitatis in toto mundo ergo eſt eius forma.* Reſpondeo diſtinguēdo antecedens, cauſa quietis rei naturalis eſt duplex altera intrīſeca per modum naturalis inclinationis, altera extrinſeca, illam priorem concedo eſse naturam nego de hac poſteriore, primū mouēs immobile eſt quidem cauſa immutabilitatis vniuerſi, ſed extrinſeca effectiua, ideo nõ vt natura. Ad meliorem explicationem ſciendum eſt quietē aliquādo procedere à natura, aliquando reduci in cauſam, quæ nõ eſt natura. Ad naturā retulit ARIST. 2. phy. 3. AVER. 2. de Cæl. 84. dum dixit in definitione naturæ dictum eſt quod eſt principium motus, & quietis. Clariſſime idem AVERR. 2. de Cęlo Com. 92. vbi ait eandem *cauſam eſſe motus naturalis corporis extra locum, & quietis in loco,* talis cauſa eſt natura: hoc idem expreſſit in 2. de Cæl. Cõ. 91. ita etiam ALEX. 2. Naturalium cap. 18. Aliquando autem quies reſoluitur in cauſam quę non eſt natura, quocirca AVER. 2. de Cæl. Com. 80. dicit *cauſam quietis terræ eſſe grauitatem*, & in 4. phyſ. Com. 43. aſſignat pro cauſa quietis *ſimilitudinem loci continentis*. Loquendo de motu circulari ratio quare maneat ſemper in eodem loco id, quod

quod mouetur]circulariter assignari potest secundum ARISTOTELEM 2. de Cælo t. 17. *quia semper circum voluitur circa aliquod immobile* quod habet rationem centri; permanente enim centro id quod mouetur circa centrum semper manere debet in eodem loco. Sed considerando causam extrinsecam, videlicet primum mouens optime assignatur ratio quare mundus semper maneat in eodem loco, & est quia vt dicit t. ille 52. 8. phys. semper coniungitur motori immobili, si ergo mobile, & mouens debent esse simul 7. phys. sum. 3. per totam, si manet mouens debet etiam permanere ipsum mobile. In summa causa istius permanentiæ vniuersi, in t. 52. assignatur extrinseca. Videndus SIMPLICIVS in 8. phys. Com. 58. THEMIST. super illum t. 52. qui causam affert ob similitudinem mundi, & primi principij, vt obseruat ZABAREL. in expositione eiusdem t. quia in mundo materiali relucere debent aliquo modo conditiones mundi archetypi.

Sed mundus archetypus nõ est forma, nec natura mundi materialis, sed ad summum exemplar, & efficiens.

CAPVT VNDECIMVM.

BReuiter percurram hoc totum caput, quia vix occurrit aliquid nouum tantum obseruabo paginas, & Lectorem remittam ad dicta in antecedentibus capitibus.

1. In Pag. 117. profitetur Excellentiss. Collega se probaturum definitionem naturæ allatam 2. phys. 3. conuenire stricte, & proprie Deo. Ego hoc nego simpliciter, & apparebit ratio negationis ex sequẽtibus considerationibus.

2. In eadem Pag. 117. & 118. asseritur Deum esse causam, & principium motus. Adhibenda est distinctio: est

S prin-

principium extrinsecum, non autem intrinsecum, videantur scripta in sectione prima cap. 9. non quoduis efficiens, & causa motus est natura cap. 3. n. 4.

3. In Pag. 119. repetit Dominus Collega propositionẽ sępissime a me negatam, videlicet *mundum esse constitutum ex corpore sensibili, veluti ex materia, & ex Deo veluti prima forma.* Nego rursus absolute Deum esse formam, & venire in compositionem cum corpore sensibili, videnda sectio prima cap. 10. & in hac eadem sectione 2. cap. prim. n. 5. & 10. item cap. 10. n. 8.

4. In Pag. 120. ponderatur altera particula definitionis naturæ, *in eo in quo est*, & dicitur quod Deus est in Cęlo, quod ab ipso mouetur.

Iam dixi supra cap. 7. n. 18. & 22. non sufficere esse in alio quomodocumque ad hoc vt sit natura, sed necessarium esse vt sit in alio per modum essentiæ, & formæ intrinsece formaliter consti uentis.

Videatur sectio prima cap. 3. Deus est quidem in Cælo, & in omnibus rebus sed non *vt natura*, sed *tanquam causa agens, & conseruans.*

5. In Pag. 122. asseritur sæpe negata propositio, Deum esse in mundo sicuti anima est in nobis. Nego paritarem rationis, sed concedo proportionem quandam, nam anima informat nos, ideo est natura sed Deus non informat mundum, sed assistit, ideo non Natura.

6. In Pag. 123. credo male dici *Deum esse in corpore circulari tanquam formam in materia*, nec bene hoc probatur per 8. phys. t. 84. quia ibi est sermo de loco primi mouentis, non de materia, vt fatetur Dominus Collega supra in suo hoc libello pag. 8. Alius modus essendi in loco, alius in materia 4. phy. 23.

7. In eadem Pag. 123. affertur locus AVER. ex 8. phys. Com. 27. vbi patet AVER. non loqui de forma, & de materia,

teria, sed de motore, & de mobili, idest de efficiente causa motus, efficiens vero non est forma, nisi improprie: pondera verba AVER. relata a Domino meo infra pag. 123. & videbis loqui de efficiente.

Alia, quæ adducũtur in fine huius cap. iam considerata, & reiecta sunt in superioribus, vt cap. 10. n. 18. cap. 7 n. 19. hæc sufficiant de hoc cap.

CAPVT DVODECIMVM.

1 Conatur in hoc capite Excellentiss. Collega probare Deo conuenire nomen naturæ ex Auctoritatibus multorum scriptorum qui hoc aperte dixerunt, citans ad hoc propositum ABVLENSEM, SENECAM, MARCVM TVLLIVM, PLINIVM, SCALIGERVM; sed respond. hoc esse transgredi limites nostræ disputationis, quia iam ego in sectione prima cap 1. professus sum me disputaturum de natura in propria, & stricta, & Physica significatione, Peripatetice, non Stoice, non Academice, aut Theologice, isti Auctores citati acceperunt naturam late. De Stoicis vide LIPSIVM lib. 2. Manuductionum Diss. 16. & lib. 1. Physiologię Disser. 5. Nobis inspiciendus est ARISTOTELES, qui in 5. met. t. 5. dicebat *metaphorice omnem substantiam posse dici naturam*, atq; ita etiam substantia Dei natura poterit appellari, & sicuti dixi citata sectione prima cap. 1. Theologi semper vocant Dei essentiam naturam, sed hoc nobis non debet esse impedimento quominus sequamur sensum physicum, & proprium, quem vsurparunt meliores Peripatetici, quos ego citaui sect. 1. cap. 9.

2, In Pag. 127. repetit Dominus Collega propositio-

nem sępe aut negatam, aut expositam, & pro parte tantum concessam, videlicet *causam efficientem rerum naturalium appellari debere naturam*: Ego nego de omni efficiente, & lectori assigno ea, quæ dixi in sect. prima cap. 4. & 5. & in hac sect. 2. cap, 3. n. 4. cum multis sequentibus.

3. In eadem Pag. 127. fit repetitio naturæ *naturantis*, *& natura vniversalis*, sed iam explicata sunt hæc omnia in sect. 1. cap. 11. & in sect. 2. cap. 4. n. 7. ad illa ergo confugiat quicunque rectam explicationem cupit agnoscere. In summa Deus est supra conditionem naturæ proprie acceptæ, & auctor potius naturæ, quam proprie natura dici debet. Expressa fuerunt omnia hęc clare, & distincte, & probata multis auctoritatibus in sect. 1. cap. 11.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

1 IN Pag. 128. adducitur t. 48. lib, 8. phys. vbi primus motor immobilis refertur inter ea quæ natura sunt, dicente ARISTOTELE in *ijs, quæ natura sunt oportet finitum, & id quod melius est si contingit esse magis*. Resp. hunc t. non probare Deum pertinere ad ordinem naturalium tanquam naturam, sed tanquam principium extrinsecum, & naturæ auctorem, & caput, quod vt ostendam accipio expositionem AVERR. qui considerans hanc ARISTOT. rationem in Com. 48. dicit *mundum compleri per tria, scilicet per motorem æternum, per motum æternum ab eo, per motum non motorem; & ista complebuntur inquit per vnum, & cum complebitur per vnum melius est vt inueniatur per vnum non per plura*, quę verba indicant ad hanc coordinationem rerum naturalium pertinere Deum tanquam principium immobile, propterea non esse naturam, quia omnis

omnis natura moueri debet, natura enim mouet mota, vt cum SIMPLICIO, & cum alijs pluribus ostendi sect. 1. cap. 9. imitatur hanc expositionem FRANCISCVS PICCOLOMINEVS in dicto t. 48. exponit enim illa verba *in ijs, quæ natura sunt* sic dicens, *ait natura sunt; nomine naturæ denotans non formam materialem vel materiã, sed seriem causarum ex Deo pendentium, & constituentium vniuersum, cuius caput est Deus, adeo vt etiam includatur Deus tanquam caput, & princeps*; colligitur ex his verbis Deum pertinere ad ea, quæ natura sunt non tanquam *naturam* sed tanquam *naturæ caput*. SVESSANVS indicans hoc ipsum in expositione illius t. sequens mentem AVERR. sic dicit; intendebat *illa quæ cogunt nos ponere principia æterna hoc est effectus inferiores, nam quando hi effici possunt tam positis principijs æternis infinitis quam positis illis finitis melius est ponere illa finita*, videmus per ea, quæ natura sunt intelligi effectus hos inferiores naturales, qui resolui debent in principia superiora finita, & non in plura, sed in vnum. Hanc eandem expositionem sequitur CARDINALIS TOLETVS super illum eundem t. 48. quod vero primum mouens immobile non comprehendatur sub nomine eorum, quæ natura sunt tanquam natura, probo manifeste ex SIMPLICIO 2. phys. Com. 56. & ex ALBERTO 2. phys. tract. primo cap. 3. docent ambo *mouens primum non esse naturam*; spectat ergo ad naturalium ordinem, tanquam supremum naturæ caput, & principium: videantur diffusius scripta in sectione prima cap. 9. & placeat hic afferre considerationem t. 3. lib. 6. met. quæ ostendit manifeste nomine eorum quæ natura sunt non intelligi motorem immobilem; contradistinguit ibi ARISTOTELES substantiam immobilem à substantijs, quę natura consistunt, Deus est substantia immobilis, vt fatentur omnes Peripatetici ex 8. phys. 52. ergo De-

us

us non est de numero eorum, quæ natura consistunt, & ideo in 8. phys. citato 48. Deus non erit formaliter de ijs, quæ natura sunt, sed eorum immobile principium, & ad summum naturalis causa eorum quæ natura sunt. Vide ALBERTVM 6. metaph. Tract. 1. cap. 2. in fine.

2. In Pag. 129. & 130. affertur ratio ad probandum Deum pertinere ad ea, quæ natura sunt, tanquam naturam, quia non potest *esse supra naturam; non infra naturam, ergo erit natura*; Sed hoc argumentum soluunt auctoritates, & doctrinæ eorum quos citaui sectione prima cap. 9. vbi pluribus ostendi Deum, & intelligentias à nostris Philosophis appellari supra naturam. In hac eadem sectione 2. cap. 8. n. 10. pariter probaui Deo non conuenire esse naturam, quocirca ad ordinem naturalium tantum pertinet Deus, tanquam caput, & auctor naturæ, vt dixi hoc eodem cap. n. 1.

3. Concludam hanc secundam sectionem cum argumento quod totum ex SIMPLICIO sumo, & probo Deum non esse naturam: omnis natura est in aliquo mobili naturali essentialiter, intrinsece tanquam in subiecto. Ita SIMPLICIVS 2. phys. Com. 4. Deus non est in vllo mobili naturali essentialiter intrinsece vt in subiecto, ergo Deus non est natura. Minor probatur quia si esset in vllo naturali mobili profecto esset in Cælo, & in hoc vniuerso, quia hæc mouentur à Deo, sed non est in Cælo, non est in vniuerso essentialiter, & intrinsece; ita SIMPLICIVS in 8. phys. Com. 107. cuius verba hæc affero, *Si ergo impartibile mouens est omnino separatum a corporibus idem per se perfectum; secretum à toto corpore mundano, recte dicendum erit idem vbique esse, & nusquam collocari.* Obseruentur illa verba *secretum à toto corpore mundano*, natura non est secreta, sed intima corpori. Paulo infra in eodem Com. habet hæc alia verba. *Quod si solum sine habi*

tudine, & seorsum adest vniuerso, &c. Ecce quomodo Deus adest mundo, seorsum, & sine habitudine ad ipsum, sed natura ad naturale semper habet intrinsecam habitudinem, quam appellare solemus transcendentalem relationem, etenim natura est rei naturalis essentia, vt ait SIMPLICIVS 2. phys. Com. 4. & 8. Concludam cum ALEXANDRO qui 2. naturalium cap. 18. apertissime distinxit à natura Deum. Constat ex dictis me non voluisse vellicare theorema, sed illud profiteri, quod, & ratio persuadebat, & approbatę veterum, & recentiorum auctoritates confirmabant, à quibus recedere nefas esse mihi putaui.

Finis secundæ Sectionis.



PRAE-

Cum hoc præsens Opus Perillustris & Excellentiss. D. D. Io. Thomę Gilioli Inscriptum Disputatio Demōstrans Primum Mouens Immobile physice, & proprie non esse naturam, a me Infrascripto visum nihil Catholicæ Fidei contrarium, morum integritati, Principumque decretis contineat, pro impressione approbaui, eidē est initiū *Necessarium est, &c.* Finis, *Nefas esse mihi putaui, etc.*

Fr. Io. Paulus Sanc. Vic. Gener. S. Offic. Padua.

1635. a 14. Marzo

GLI Eccellentiss. Sig. Refformatori dello Studio di Padoua veduta la sopradetta fede del P. Vic. del S. Offic. et attestato dal Reuerēdiss. M. Lonigo della sopradetta opera, non vi eßer cosa contra la Santa Fede, Prencipi, & buoni costumi, concedono licenza della stāpa, douendosi nel resto osseruare quāto è disposto dalle Leggi in tal materia:

Vicenzo Capello Proc. Reff.
Zuanne Nani Proc. Reff.
Angelo Contarini Cau. Reff.

Gerol. Cauazza Secr.

SECTIO TERTIA

Præfatio Tertiæ Sectionis.

INstitutum meum in hac tertia Sectione est obseruare multa dicta ab Excellentissimo Collega in 2 Lib. de Natura Primo Mouente, & sustinere argumenta, quæ attuli, vt probarem nec Deum nec intelligentias esse proprie naturas. Responsionibus allatis ab Excell. Domino occurrere & ostendere ab illis non solui mea argumenta. Sicuti distinxi secundã Sect. ita distinguo hanc tertiam, Capitibus Lib. 2. de Natura Primomouente respondent Capita meæ 3. Sectionis. Notaui numeros paginarum vt possit quicunque voluerit inuenire loca, & conferre mea cum dictis in citato Libr. 2.

CAPVT PRIMVM.

1 IN Pag. 131. epilogo colliguntur ab Excellentissimo Domino dicta in superiore suo 1. Lib. & asseritur, nullam esse dubitationẽ de fine, de Cęlo, & de Mundo quin debeant dici naturę; sed ego iam credo me apertissime ostendisse finem generaliter acceptum non posse dici naturam, & multo minus Cælo, & Mundo compe-

tere hoc nomen naturæ, quia potius corpora naturalia, quam naturę appellanda sunt: sed hæc patent ex 2. sect. cap. 5. De fine vide sect. 2. cap. 3. n. 10.

CAPVT SECVNDVM.

1 IN Pag. 132. affertur prima ratio, quam ego inter legendum adduxi, vt probarē nec Deum, nec intelligentias esse naturas.

Natura est forma inseparabilis à materia nisi ratione, Deus, & intelligentiæ non sunt formę inseparabiles imo separatę; ergo nec Deus, nec intelligentię sunt natura: maior propositio a me probabatur adducendo t. 12. lib. 2. phys. vbi verba sunt expressa. *Quare alio modo natura vtique erit habentiū in se ipsis motus principium forma, & species non separabilis existens nisi secundum rationem*, minor à me fundabatur super t. 17. lib. 1. de anima, vbi ARISTOTELES vocat hos actus à Met. consideratos, *separatos*, & alibi appellat *separabiles* nempe lib. 6. met. t. 2.

2. In Pag. 133. conatur Dominus meus respondere argumento, & destruere veritatem maioris propositionis, adducendo instantiam de anima intellectiua, quæ est natura hominis, vt communiter conceditur, & ipse diffuse probat hic, non solum in hac pag. 133. sed etiam in 134. & tamen non est inseparabilis, imo separabilis realiter à materia, 2. de an. 21. 3. de an. 7. cum similibus; non erit ergo vera illa maior vniuersaliter, *natura est forma inseparabilis*: Ego ostendo apertissime illam maiorem prolatam ab ARISTOTELE in 2. phys. 12. esse vniuersaliter verissimam, & non dicam aliquid noui, sed inhærebo doctrinæ communi, fundatissimæ, & ab omnibus; præsertim recentiori-

tioribus, optime approbatæ. Forma, quæ est natura est forma informans, & essentialis pars compositi, habens intrinsecam habitudinē, & relationem transcendentalem ad materiam, propterea appellatur inseparabilis a mate-ria; sed oportet vti distinctione, esse formam inseparabilē duobus modis potest intelligi, *primo actu, & aptitudine*, 2. *aptitudine tantum non actu*: priore modo sunt inseparabi-les omnes formę materiales, & corruptibiles, 2. modo ani-ma intellectiua est inseparabilis, quia quocunque modo actu separetur à materia, semper remanet in sua habitu-dine, & relatione transcendentali vnita materiæ. Hæc do-ctrina, vt dixi non est mea excogitatio, sed legenda apud optimos recentiores; videndus SVAREZ in met. disp. 1. sect. 2. n. 18. CONIMBRIC. in qu. proemiali in lib. de anima art. 2. clarissime RVVIVS qu. 1. proemiali in libros de anima: & CARD. TOLET. qu. 2 proemiali in eosdem lib. de anima; lege HERVEVM quodlibet 8. qu. 4. *aptitudo ad vnionem inest formę per essentiam*. Quod si quis dicat non videri animam intellectiuam quādo est se-parata actu a materia retinere hanc aptitudinem natura-lem ad materiam, ob quam dicatur aptitudine inseparabi-lis; Resp. hoc ita esse verum, vt velle hoc negare sit repu-gnare doctrinæ omnium fere scholasticorum: adducam hic aliquos breuiter ad conciliandam fidem. S. THOM. 1. parte qu. 76. ar. 1. ad 6. & ibidem CAIETAN. SILVE-ST. in Conflatu qu. 76. art. 2. in notatis ad argumentum 6. HENRICVS à Gandauo quolib. 3. qu. 15. vbi ait ex-presse *animam separatam habere naturalem appetitum, & in-clinationem ad corpus*. SCOTVS in 4. dist. 49. qu. 3. litt. F. Causa huius naturalis inclinationis affertur à S. TH. in 3. dist. 5. qu. 3. ar. 2. quia anima est pars humanæ na-turæ, & non natura quædam per se, pars autem naturali-ter inclinatur in suum totum. Eandem rationem assignat

idem S. TH. 2. de an. lect. 1. sequuntur eandem rationem alij Scholastici, vt RICARD. in 4. dist. 49. art. 2. qu. 7. MARSIL. in 3. qu. 13. vbi *dicit animam hominis non esse personam, idest completam aliquam substantiam*, & inde deducit animam separatam habere naturalem tendentiam ad corpus. Hanc imperfectionem animæ separatę quo ad esse totius concedit etiam SCOTVS quodlibet 9. litt. M. imo Animam esse ex se imperfectam docet S. THOMAS 2. contra Gentes Cap. 83. & 4. Dist. 49. qu. 1. art. 4. qu. vn. ex quo deducit naturalē appetitum vnionis cum corpore in Anima separata SVAREZ in metaphys. Disp. 33. sect. 1. n. 11. DVRANDVS. etiam in 4. dist. 49. qu. 7. concordat cum alijs, & S. TH. in qu. de spiritualibus creaturis ar. 2. ad 5. Accedit vltimo auctoritas D. AVGVST. 12. de Genes. ad litteram cap. 35. in illis verbis *inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi*. Hæc pauca sufficiant in præsentia ad hoc probandum, nam plura, & latius dicenda sunt in speciali disp. qua ostendam; *in anima separata esse naturalem inclinationem ad corpus*. Hic solum sufficiat concludere animam humanam, quia est naturâ forma corporis, & pars humanæ naturæ inseparabilem esse à corpore, secundum aptitudinem, & hoc esse de ratione veræ, & propriæ naturæ: vide etiam ALBERT. 6. metaph. Tract. 1. cap. 2. *forma physica etiam separata est inclinata ad materiam*; & ita dico intelligendum esse T. 12. lib. 2. Physicorum Addendo T. 2. libri 6. Metaph. vbi Physica dicitur esse circa *inseparabilia*.

3. In Pag. 135. affertur expositio quędam t. 12. lib. 2. phys. quia enim ibi ARISTOTELES vtitur duobus verbis videlicet *forma*, & *speciei* Excellentiss. Dominus interpretatur ARISTOT. dicens, per *formam intelligere separabilem*, idest humanam animam: per *speciem significare alias formas inferiores humana anima inseparabiles, & corruptibiles.*

ptibiles. Fateor ruditatẽ meam quia vereor ne hoc sit diuinare, non explicare ARISTOTELEM, etenim reperio apud ARISTOT. pro eodem promiscue accipi *formã, & speciem* neque hæc mysteria significari. Obseruo ad hoc propositum in 2. phys. summa 3. cap. 1. bis ARISTOT. enumerasse genera causarum semel in t. 28. iterum in t. 31. & dum explicat genus causæ formalis in t. 28. dicit *alio modo formas & exemplum*; in t. 31. explicans idem genus causæ dicit, *aliæ autem vt quod quid erat esse, & totum, & compositio, & species*; quod ergo dixerat *formam* in t. 28. appellat *speciem* in 31. inter hęc duo non distinguens. Obseruo Peripateticos hæc duo pro eodem vsurpasse. ALEXAND. 5. met. Com. 3. *forma inquit seu species definitio*, illa particula, *seu*, est explicatiua, & indicat speciem esse idem cum forma, & paulo antea in eodem Com. 3. *exemplar, inquit, pro specie seu forma dixit*. SIMPLICIVS 2. phys. Com. 8. pro eodem vtrinque accipit; & ALBERT. 5. met. tract. 1. cap. 2. *alio inquit modo causa dicitur forma siue species*. Addo dictis si vlla facienda est distinctio inter *formã, & speciem* non posse fieri illam quam affert Dns. Collega, videlicet *formã significare separabilem speciẽ vero inseparabilẽ* quia nomine formę sæpe significamus corruptibilem, & inseparabilem formam. Ita vsurpat PHILOP. 2. phys. in expositione t. 12. *formam inquit quam quidem naturam dicimus esse, non asserimus ipsam separabilem subsistentiã*. Clarius AVERR. 4. phys. Com. 17. *vnum eorum quę ponit naturalis est, quod forma non separatur per se, sed separatio eius à materia est corruptio*, ecce quomodo nomine formæ significamus corruptibiles, & inseparabiles formas.

Speciei etiam nomine sæpe numero omnes formæ veniunt: ita BOETIVS in prędicabilibus super caput de specie initio illis verbis. *Triplicem speciei significationem*

esse

esse subijcimus, vnam quidem substantialem qualitatem, aliā cuiuslibet propriam formam indiuidui, &c. omnis ergo forma cuiuslibet indiuidui appellari potest species, etiam si sit anima humana ALBERT. etiam 2. phys. tract. 2. cap. 2. speciem applicat formis incorruptibilibus, vt cęlestibus, ergo non habet fundamentum dicere formam denotare animam humanam separabilem, speciem vero inferiores formas inseparabiles. Obseruo vltimo circa hoc ARIST. in illo t. 12. 2. phys. vnum prędicatum enunciasse tam de forma quam de specie, quocirca dum dicit *alio modo natura est forma, & species non separabilis existens*, illa particula, *non separabilis*, ita afficit speciem sicuti formam, nec video quare ibi non separabile tantum respiciat speciem, non autem formam.

4. In eadem Pag. 135. & 136. dicitur non omnem naturam esse inseparabilem, & adducitur ad hoc t. primus lib. 6. met. vbi in vltimis verbis ARISTOTELES dicit *naturalem philosophiam esse speculatiuam circa substantiam vt plurimum inseparabilem*: obseruatur illa particula *vt plurimum*, limitat enim illam generalitatem lib. 2. phy. in t. 12. Vere verba ista t. 1. lib. 6. met. secundum S. TH. & ALEX. de Ales respiciunt animam intellectiuam, quæ est separabilis actu à materia, sed non est separabilis aptitudine ab eadem materia, & præter allata supra confirmo hoc primo per ALEX. de Ales in expositione illius t. 1. *hoc dicit propter intellectum, qui aliquo modo separabilis est*; obseruo illam particulam, *aliquo modo*, quæ indicat non omnino, & absolute simpliciter intellectum esse separabilem, nam separatus actu, adhuc aptitudine est forma materiæ; deinde reddo huius rei rationem ex doctrina D. THOM. 2. contra Gen. cap. 81. vbi ait *vnamquamque animam esse commensuratam suo corpori, & secundum substantiam esse formam, & hanc commēsurationem remanere in animabus*

mabus; corporibus, etiā pereuntibus, Si ergo animæ separatæ sunt veræ formæ, & suis corporibus commensuratæ, absq; dubio habitudinem habebunt ad materiam, atque hinc fiet, vt sub hac ratione animæ separatæ spectent ad considerationem physicam, vt optime probauit RVVIVS qu. 1. Proemial. in lib. de anima, quia vt sic anima non est sine materia, quia non sine habitudine ad materiam cognosci potest; militat ergo ratio t. 2. lib. 6. met. *de quadā anima speculari naturalis est, quæcunque non sine materia*, separata anima, non est sine materia saltem aptitudine, & habitudine relatiua, cum qua debet cognosci.

5. In Pag. 137. asseritur primum-mouens esse inseparabile à materia, & propterea posse dici naturam etiam ex regula t. 12. lib. 2. phys.

Hic oportet distinguere vna cum S. THOM. 1. contra Gent. cap. 26. & 2. contra Centes cap. 57. sicuti supra fecimus sect. 2. cap. 10. n. 14. duplex est vnio, & duplex separatio, siue separabilitas, prior vnio substantialis formæ cum materia, posterior accidentalis, motoris cum mobili: quoad priorem illam vnionem primus Motor non solum est separabilis, sed etiam actu separatus: quoad posteriorem vnionem potest dici inseparabilis, quia semper adest suo mobili ita vt nunquam illi desit, vt verbis D. THOM. vtar citato primo contra Gent. cap. 26. Hinc fit, vt primus motor non sit natura, quia natura est essentia, & essentialiter vnita, primus motor vnitur vnione accidentali; sequitur etiam vt non bene dicatur in hac eadem pag. 137. primus motor *pars interna sui mobilis*, de quo videatur sect. 2. cap. 10. n. 14. Deducitur etiam non esse concedendum indistincte id, quod dicitur in pag. 138. *primum motorem iungi intime suo mobili*; sed debet intelligi iuxta dicta in sectione prima cap. 10. de mente D. THOM. iungitur enim primus motor tanquam operans, & agens in esse vniuscu-

iusq;

iusque rei non tanquam rerum essentia. Et quia dixi motorem immobilem non solum appellari *separabilem, verum etiam separatum*, volo hoc probare apertissimis testimonijs. Aristoteles lib. 1. de anima t. 17. ita loquitur *secundum autem quod separatæ primus philosophus*, & loquitur de intelligentijs, quæ propterea etiam vocantur abstractæ. Vt AVERR. sæpissime dicit præcipue 1. de Cælo Com. 5. SIMPLIC. in 2. phys. Com. 20. *appellat formam separabilem subsistentiâ* indicans habere completam subsistentiam in se: si vniretur alteri vt natura, haberet esse in alio, & appellaretur inexistens potius quam subsistens saltem completa subsistentia. Ideo nec Anima subsistit complete, per D. THOMAM 3. dist. 5. q. 3. art. 2. ad 3. quest. de Anima art. 1. de Humana Anima *ait esse in confinio corporalium, & separatarum substantiarum*, ergo natura est inferior separatis substantijs. Sed veniamus ad clariora testimonia PHILOPONVS lib. 2. phys. in expositione t. 26. in fine sic loquitur *attinet ad theologos hæc, & huiusmodi inuestigare, vt quæ, & quot sint formæ separatæ*. ALEX. 6. met. Com. 4. & 5. ad physicam non pertinet *considerare sempiternum, & immobile, quia non conuenit considerantem mobilia, & inseparabilia immota, & separata contemplari*, in Com. etiam 5. illius 6. met. appellat substantiam *immobilem, & separatam*. SIMPLIC. in 1. phys. com. 81. de principio *proprio formali separato, & intellectuali atque immobili, &c.* EGIDIVS etiam in lib. 2. phys. lect. 4. in fine appellat substantias *omnino abstractas, & separatas*. Vide infra, hac sect. cap. 3. n. 6. vbi probatur Deum non esse in subiecto vllo modo, quod de Intelligentijs etiam dicendum, ex quibus testimonijs assumptis ita formo argumentum; natura nunquam appellatur separata, sed vel inseparabilis, vel ad summum separabilis tantum actu, vt dixi, non etiam aptitudine; primus motor appellatur, &

est

est actualiter separatus ergo, nõ potest proprie dici natura, & ratio est quia natura est uera forma habens intrinsecam habitudinem ad materiam, primus motor est tantum causa agens motum non dans esse formaliter & intrinsece. Noto verba ALEX. 8. met. com. 13. loquens de vera physica forma sic ait: *nunc cum forma non sit per se in subsistētia* tales sũt formę quibus cõuenit esse naturas; De forma physica ita etiam loquitur PHILOP. 2. phy. expositione t. 12. non separabilem subsistentia illam vocat, at intelligentiæ sunt separatæ subsistentiâ. Conferamus cum SIMPLIC. 2. phy. com. 20. vbi intelligẽtias vocat *separabiles subsistētiâ*; & videbimus intelligentias non esse veras formas, quia separatæ sunt.

6 In eadem pag. 138. & 139. asseritur intelligentijs non omnino negari materiam, imo esse in materia *suæ actuationis & suæ motionis*. Ego dico hoc cõfirmare illud quod paulo ante dictum est videlicet intelligẽtias vniri materię vt motrices tantum, & veluti actus extrĩsecos, quia habẽt tantum materiam suæ motionis si essent verę naturæ haberent materiam veræ & propriæ constitutionis, essent enim essentię rerum materialium, vt clare ostensum in sectione 1. cap. 3. natura enim primo constituit intrinsece dãdo esse, deinde mouet illud idem quod prius natura constituerat. De modo, quo intelligentiæ sũt vnitæ materiæ legendus PENDASIVS in 8. phy. tract. de primi motoris separatione à magnitudine parte 2. & apparebit excepta vnione mouentis & moti, intelligentias appellandas esse à materia omnino separatas, & multo magis quam sit anima intellectiua quando informat corpus, ideo intelligentiæ non sunt formæ cęlorum, non actuant cęlos nisi quo ad accidentalem operationem, & vnio illarum cum cælis non est substantialis, sed accidentalis, argumento eorum quæ docet S. THOM. in 2. contra Gent. cap. 57.

V In

7. In eadem Pag. 139. affertur argumentum quoddã à simili ad ostendendum quomodo separatum, vel non separatum possit dici primum mouens à materia; sicuti *cælum se habet ad corpora subcælestia ita primum mouens ad suũ corpus mobile*, sed Cęlum separatum quidem est ob diuersitatem substantiæ ab elementis sed non est separatum loco & tactu, quia semper coniungitur elementis, vt illa regat, & moueat. Summopere lætor in fine huius cap. 2. adductum fuisse hoc simile ad confirmandum id quod dixi, & semper dicam; Primus-motor adest suo mobili sicuti cęlum adest elementis, sed cęlum non est natura elemẽtorum sed tantum causa mouens elementa, & perpetuo agitans, & ideo causa extrinseca, non intrinseca natura, ergo, & primum mouens non erit natura cęli mobilis, sed tantum actiua causa.

Videantur quæ de cęlo scripsi in sectione 2. cap. 5. n. 2. & apparebit cælum non esse formam, neque naturam rerum subcælestium, & ad hoc propositum obseruanda est confessio Excellentiss. Collegę in hac eadem pagina 139. *cęlestis mundus ab elementari separatus est solum diuersitate substantię non loco medio interiecto*; hoc est quod ego volo, diuersitas substantiæ tollit esse naturam, quia natura est essentia rei cuius est natura, vt dixi sectione prima cap. 3. per totum, cęli substantia est diuersa a substantia subcælestium, vt concludit ARISTOT. in 1. de Cælo t. 13. & 16. ergo non est natura rerum subcælestium. Hinc fiet, vt nec primus Motor sit natura sui mobilis, quia ex confessione hic facta sicuti cælum ad subcælestia, ita primus motor ad suum mobile; hæc consideret eruditus Lector, & iudicet, ex concessis.

CA-

CAPVT TERTIVM.

1 IN Pagina 140. affertur secundum argumentum meum ad probandum Deum, & intelligentias nõ esse naturas. *Natura est in subiecto 2. phys. t. 4. Deus, & Intelligentiæ non sunt in subiecto, ergo non sunt naturæ, sed formæ per se perfectissime subsistentes.* Probabam minorem quia vt dicit IACOB. ZABARELL. 2. phys. in expositione t. 3. intelligentia non est principium motus in eo, in quo est, quia ipsa in nullo est, sicuti hic sumitur esse in alio, significat enim esse in alio, vt forma informans est in materia. Adhæc; & similia respiciens dixi intelligentias & Deum non esse in subiecto.

2. In Pag. 141. respondetur ad hoc argumentum tam Deum quam Intelligentias aliquo modo esse in subiecto, non quidem inhæsionis, sed constitutionis, quasi Deus constituat corpus naturale cæli veluti forma, atque ita reperiatur aliquod subiectum constitutum ex corpore tãquam ex materia, & ex Deo siue primo motore, tanquam ex forma. Supposita sententia Primi Motoris ego probaui efficacissime in lectione prima cap. 12. a Primo Motore non posse aliquid constitui formaliter, & ideo vanũ esse dicere esse in subiecto constitutionis, siue a se constituto cum nihil formaliter constituat; illa quæ ibi scripsi possunt esse satis ad hoc propositum, breuibus ideo hoc peragam in præsentia, paucis hic allegatis, dico ergo vna cum ALEX. 7. met. Com. 38. *quod nunquam duæ substantiæ actu existentes vnam substantiam conficiunt*; item quod, *actus discernit, nec sinit ipsum esse vnum*, & paulo inferius, *itaque substantia si vnum est, non cõstabit ex substantiis consistentibus, & quæ actu sint substantiæ*; & paulo infra *fieri nõ posse dicimus, vt ex duabus substantiis actu existentibus fiat vna substantia*, sed Deus assistens Cælo, & ipsum Cælum

sunt duæ substantiæ completæ subsistentes actu, ergo non possunt venire ad constitutionem vnius substantiæ, requiritur vnio per informationem, vt S. THO. 2. contra Gent. cap. 68. quod vero Deus, & Intelligentiæ sint actus completi, & per se subsistentes conceditur ab Excellentissimo Dno. qui dicit esse assistentes, & docet SIMPLIC. in 2. phys. Com. 26. in vltimis verbis; itaq; vnio Dei cum Cælo erit per contactum virtutis, argumento eorum quæ docet S. THOM. 2. contra Gent. cap. 57. ideo non vera cõstitutio. In summa clare dicam, *forma assistens non est principium constitutiuum*, sed tantum ea, quæ informat. Ad idem confirmandum sic arguo, omne id quod constituit, & habet aliquod subiectum a se constitutum, est veluti pars illius essentiam complens, Deus non est pars alicuius essentiam complens formaliter, ergo Deus nõ est in subiecto a se constituto: maior propositio est Dexippi in primo lib. in prædicamenta cap. 21. & ALEX. 3. met. Com. 39. *itaque* inquit *differentia est pars speciei, quoniam singula quaque in definitione contenta partes sunt eius cuius complent substantiam*; hinc ego colligo omne cõstitutiuum esse partem essentialem sui constituti; ideo enim differentia quæ constituit speciem dicitur à Porphirio cap. de differentia pars speciei; minor propositio fuit satis a me probata supra 2. sect. cap. 10. precipue n. 8. ad quem locum mitto Lectorem, & ad ibi citata. Ideo non bene credo affirmari in pagina 142. & 143. Deum esse partem essentialem sui cõstituti videnda etiam, quę dixi in illo cap. 10. n. 14. & eadem secunda sect. cap. 1. n. 5. & sect. 1. c. 10.

3. Ad vberiorem doctrinam volo hic afferre alias rationes ad probandum Deum non posse esse partem constituentem, quod non solum inseruiet huic præsenti proposito, sed etiam illis, quæ dicenda sunt infra in obseruandis circa paginam 185. 189. & 190. vbi Deus aperte vocatur

pars

pars essentialis: Adduco itaque hanc rationem, quod dicit imperfectionem tribui non potest Deo, esse partem quomodocumque accipiatur dicit imperfectionem, ergo esse partē quomodocumque accipiatur non potest tribui Deo: maior nec à philosophis nec à theologis negari potest; minor probatur multis, & apertissimis auctoritatibus. ARIST. in 2. phys. t. 31. dicit partes *ad ipsum totum habere rationem materię*; S. THOM. in eodem 2. phys. lect. 5. vbi tex. illum declarat habet hæc verba, *omnes partes comparantur ad totum vt imperfectum ad perfectum, quæ quidem est comparatio materiæ ad formam*. Hoc affirmatur non de solis partibus integrantibus, sed etiam de essentialibus. Lege AVERR. 2. de Anima Com. 37. *anima est propter animatum* Lege D. THO. 2. de Anima lec. 1. & SIMPLIC. in 1. phys. Com. 50. forma inquit est substātialis non substantia. Idem S. THOM. in prima parte qu. 65. art. 2. idem docet his verbis *tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius sicut, & materia propter formam partes enim sunt quasi materia totius.* Obseruo illa verba *partes sunt propter perfectionem totius* ergo ordinantur intrinsece in aliud, & hoc dicit imperfectionem repugnantem Deo, in quem omnia ordinantur, & ipse in nihil ordinatur. Eadem prima parte qu. 3. art. 7. in ratione 4. *omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius* at Deo repugnat esse in potentia respectu alicuius. Prima secundæ qu. 90. art. 2. *rursus inquit cum omnis pars ordinetur ad totum sicut imperfectum ad perfectum, &c.* Hinc factum est, vt Sancti Patres semper negauerint Deum esse partem. Legendus Dionysius de Diuin. Nom. cap. 2. circa finem de Deo dicit, *quod neque pars existens multitudinis neque ex partibus totum*; & ATHANAS. in oratione contra Idola circa medium *Deus inquit totum quoddam est, ac non pars aliqua neque ex diuersis constat, sed om-*

nium, quæ constant auctor est. Obseruandus etiam in hoc proposito modus loquendi CLEMENTIS ALEX. lib 5. STROMATVM cap. 3. circa finem: *Dominus, inquit, est supra mundum vniuersum atque adeo vltra mundum*: quo modo loquendi vsus est etiam BERNARD lib 5 de consideratione dicendo *Deum esse supra omnia*; ex quo ego deduco non esse formam mundi neque dare esse formaliter rebus, & argumentum accipio à D. THOM. 1. contra Gent. cap. 26. Si Deus esset forma mundi non esset supra mundum, sed præcise esset in mundo, ex istis Patribus citatis Deus est supra mundum, & supra omnium rerũ esse ergo neque mundi, neque ullius alterius rei potest esse, forma, quod si aliquando reperiatur Deum appellatum esse formam, vt apud AVGVST. sermone 38. de Verb. Domini, & 2. de libro arbitr. cap. 17. glosari debent hę auctoritates iuxta doctrinam S. THOM. prima parte qu. 3. art. 8. ad 2. argumentum *dicendum quod verbum est forma exemplaris non autem forma, quę est pars compositi*; & dicendum cum BERNARDO in lib. 5. de consideratione *ipse sibi forma, ipse sibi essentia*. Concludo hanc considerationem cum pulcherrima auctoritate S. LEONIS addita ratione Scholastica. Leo Primus in Epist 93. cap. 5. refellit errorem dicentium Deum esse rerum formam, & naturam, & habet hæc verba, *impietatem ex quorundam philosophorum, & Manichęorum opinione manantem catholica fides damnat sciens nullam tam sublimem tamquam precipuam esse facturam cui Deus ipse natura sit*; ecce quomodo reprobatur mundi naturam esse Deum, quantumuis mundus sit sublimis quædam, & perfecta Dei factura. Ratio Scholastica iuxta doctrinam optimorum recentiorum videlicet FASOL. parte prima qu. 3. art. 8 dub. 3. sic formari potest. Principium essentiale intrinsecum facit suum principiatum essentialiter, & formaliter

tale

tale quale ipsum est, Deitas non facit vllam creaturam, nec etiam mundum esse Deum, ergo Deitas non est principium essentiale alicuius creaturæ, nec etiam mundi: probatur maior exemplo humanitatis, quia enim humanitas est principium essentiale PETRI, facit PETRVM esse formaliter hominem. Ista ratio insinuatur etiam a S. THOM. in primo contra Gent. cap. 26. illis verbis, *si Deus est esse omnium non magis diceturvere lapis est ens, quam lapis est Deus*: ex hoc credo optime refutari id, quod dicitur ab Excellentiss. Collega infra cap. 11. pag. 189. & 190. videlicet *Deum esse partẽ essentialem totius mundi.*

4. In Pag. 144. Citatur rursus t. ex 7. ad Eudemum cap. 18. ad probandum *Deum esse in mundo tanquam in subiecto à se constituto*. Sed ego iam expicaui hunc t. in sect. 2. cap. 10. n. 16. adducendo doctrinam EGIDII optime illum locum exponentis, Deus est in vniuerso tãquam causa agens, & conseruans, & mouens omnia; addo Deum esse quidem intimum omnibus rebus, & omnibus inexistere, vt dicit ibi ARIST., sed debet explicari vna cum S. THOM. prima parte qu. 8. art. 1. *esse sicuti agens adest ei in quod agit, non sicuti est pars essentiæ*; si esset veluti in subiecto constituto esset tanquam pars essentiæ. De hoc modo quo Deus est intime in omnibus videndus D. THOM. quodlibet 7. art. 1. in argumento sed contra, & obseruanda expositio EGIDII in quodlibeto 3. qu. 15. *intelligitur per illapsum*, non autem quod Deus sit rerum essentia.

5. In eadem Pag. 144. repetitur sæpe, & sæpe allatus t. ex primo met. sum. 2. cap. 2. sed ego iam explicaui hunc locum in sectione 2. cap. 1. n. 8. & ostendi cum melioribus expositoribus tantum ibi sermonem esse de causa efficiente non de formali; videat Lector scripta in illo n. 8.

In

6. In Pag. 145. asseritur primum Motorem esse quidē in subiecto moto, sed non moueri, quia est in subiecto independente ab illo. Hic ego considero non bene dici *Deum esse in subiecto* quomodocumque intelligatur etiam independenter ab illo: Lego enim apud AVERR. de substantia orbis cap. 2. *mouens immobile appellari virtutē, qua non est in corpore*, & apud SIMPLIC. in 8. phys. Com. 107. agnosco *Deum ita appellari separatum, vt nec etiam dicatur esse in Cælo*, quod autem est in subiecto vere, & proprie dicitur ese in eo; obseruo etiam apud ARIST. in lib. 7. met. t. 44. subiectum esse duplex, alterum esse hoc aliquid idest subiectum actu respectu accidentium, alterum ese materiam respectu formarum substantialiū: Hinc deduco hoc argumentum. Omne quod est in subiecto aut est accidens, aut forma substantialis, Deus neque est accidens, neque forma substantialis ergo Deus non est in subiecto: maior est ARIST. in illo t. 44. exponentibus etiam ibi ALEX & D. THOMA, min. probatur, & quod Deus non sit accidens clarum est, quod non sit forma, cui tribuitur ese in subiecto probo adducendo doctrinam D. THOM. 2. lib. de anima lect. prima vbi docet illas formas ese in alio tanquam in subiecto, quę non sunt entia completa in specie, & propterea in earum definitione ponitur subiectum, sed entia completa non esse in subiecto, & ibidem addit substantias separatas *quamuis non sint composita ex materia, & forma, tamen esse hoc aliquid cum sint subsistentes in actu, & completa in natura sua.* ALBERTVS etiam 2. phys. Trac. 1. cap. 4. Hinc educo argumentum, substantia subsistens completa in natura sua non est in subiecto, Deus est substantia subsistens completa in natura sua; ergo non potest ese in alio tanquam in subiecto. Et confirmatur quia si Deus eset in subiecto non appellaretur passim *separata substā-*

tia,

tia, sed ita appellatur, & cum eo intelligentiæ etiam, vt dicit SIMPLIC. 5. phys. Com. 23. ibi *sed propriissime immobiles sunt substantiæ quæ sunt omnino separatæ à corporibus* & hoc ipsum probatum fuit supra hac eadem sect. cap. 2. n. 4. Ad idem confirmandum sic etiam arguo, quod est in subiecto necessario est in alio, Deus non est in alio, ergo Deus non est in subiecto: maior est nota ex terminis, probatur min. adducendo doctrinam S. THOMAE primo contra Gent. cap. 27. ratione 4. vbi concludit *Deum, quia est ens nobilissimum non esse alicuius rei formam, & non esse in alio*, Idem docetur in prima parte qu. 3. art. 2. ad 3. vbi Deus appellatur forma non receptibilis in materia, per se subsistens, quæ ex hoc ipso indiuiduatur quia non potest recipi in alio; ergo nullo modo est in subiecto, & qu. 7. art. 1. ad 3. vbi Deus dicitur subsistens esse, & non posse recipi in alio: hinc sequitur vt non sit in subiecto; adduco etiam ad hoc idem doctrinam ARIST. in prædicam. cap. de substantia; prima substantia inquit ARIST. non est in subiecto, sed Deus est prima substantia, & indiuidua quædam subsistens natura, ergo non est in subiecto. AMMONIVS in expositione capitis de substantia particula 14. sic ait *quod non sit in subiecto prima substantia nec probatione dignum quidem arbitratur cũ sit id ex euidentia manifestum, nam ipsum esse in alio non habet Socrates.* Et ne credamus AMMONIVM hoc tantum dixisse de primis substantijs compositis, & materialibus, ideo videamus quid scribat de immaterialibus, & de intelligibilibus substantijs; in expositione eiusdem capitis partic. 10. *conuenire intelligibilibus substantijs finitionem haud quaquam ratione omnino vacaret quoniam, nec in aliquo insunt subiecto, nec de vllo subiecto prædicantur*; Ratio à priori partim supra allata est, partim nunc à me adducitur clarius, quia enim SOCRATES subsistit in se

plete, ideo vt dicebat AMMON. non eſt in ſubiecto, ſed Deus completiſſime in ſe ipſo ſubſiſtit, quod ad propoſitum meũ appoſitiſſime dixit illuſtris phyloſophus & theologus Io. BACCONVS in primo diſt. 8. qu. prima ar. 2. vbi probare intendit Deum eſſe ſubſtantiam, remota omni limitatione, & imperfectione, ex eo *quia ſubſiſtit in ſe*; Quomodo ergo eſt in alio vt in ſubiecto?

7. Vlterius progredior in hac conſideratione, & obſeruo Excellentiſs. Collegam dixiſſe ſupra lib. primo cap. 11. pag. 123. *Deum ſiue Primum Mouens eſſe in corpore circulari, quod eſt materia mobilis, tanquam formam in materia, & ſicuti eſt ſanitas in calidis, & frigidis*: ex quo ſic arguo, quicquid eſt in alio vt forma in materia, & ſicuti ſanitas in calidis, & frigidis eſt dependenter a materia, & ſaltem mouetur per accidens ad motũ ſuæ materiæ, Deus ſecundum prædicta eſt in Cælo vt forma in materia, ergo erit dependenter a Cælo, ſaltem mouebitur per accidens ad motum Cæli, quod eſt falſum, & conceditur a Domino meo; maior propoſitio probatur ex 4. phyſ. t. 32. vbi albedo, & ſcientia, quæ ſunt in alio ſicuti ſanitas in calidis, & frigidis dicuntur moueri per accidens ad motum eius, in quo ſunt, & confirmatur euidentiſſime in anima, quæ quamuis forma præſtantiſsima, tamen mouetur per accidens ad motum ſui corporis, vt fatetur ARISTOT. in 1. de anima t. 42. non eſt ergo Deus in alio vt forma in materia: SIMPL. autem 4. phyſ. Com. 28. *eſſe in ſubiecto reducit ad eſſe veluti formam in materia*; hinc ſequitur ſi Deus non eſt vt forma in materia neque etiam eſſe in ſubiecto, quia negato genere, negatur etiam omnis eius ſpecies, eſse in materia eſt veluti genus ad eſse in ſubiecto, per SIMPL. citato Com. 28. ergo ſi non eſt vt forma in materia, neq; erit vt in ſubiecto. Veritas itaque eſt quam ſæpe ſupra dixi, & nunc confirmo cum ALBERT.

in

in primo de Cæl. tract. primo cap. 9. *Deum esse in Cælo sicuti motorem indiuisibilem, & per eundem modum esse cęteras substantias intellectuales in suis orbibus* sed motor non est in mobili tanquam in subiecto. D. etiam THOM. 8. phys. lect. 23. exponens t. 84. dixit *Deum non esse in Cælo vel in parte Cæli per determinationem suæ substantiæ, vel per aliquam affixionem, sed per efficientiam, & per influentiã motus,* quod etiam remouet esse vt in subiecto; videndus idem D. THOM. prima parte qu. 8. art. primo ad primũ *Deus, inquit est in omnibus rebus vt creans omnium esse*, & in art. 3. dicit *esse in omnibus per modum causæ agentis,* nũquam asserit formaliter dare esse, sicut ea, quæ sunt in subiecto, imo explicite hoc negat prima parte qu. 51. art. primo ad tertium, & quãdo agitur de esse in alio per modum formæ semper negat Deum esse in alio: vt primo contr. Gen. cap. 27. Concludam tandem cum AVERR. qui primo phys. Com. 63. in fine *dicit formam qua est in Cælo esse liberatam à subiecto*, & clarius in lib. de substantia orbis cap. 1. illis verbis *non enim existunt in eo neque in toto neque in parte* circa quæ verba videri potest MAINETTVS qui optime inde colligit excludi ab AVERR. omnem corpoream connexionem intelligentiæ cum subiecto, quia *subiecto non dant esse sed suas operationes in illo exercent, quemadmodum nauta à substantia nauis separatus in naui suas operationes molitur:* & paulo post concludit *rectius dici cęlum in intelligentia, quam in cælo intelligentiam esse.* IANDVNVS etiam in expositione illius eiusdem loci dicit *intelligentias esse in Cælo quantum ad influentiam motus, non quantum ad existere in subiecto.* Non possum ommittere doctrinam singularem S. THO. in 3. contr. Gen. cap. 13. *quicquid est in alio, vt in subiecto oportet quod habeat aliquam causam, causatur enim vel ex subiecti principijs, vel ex aliqua extrinseca causa* Deus non po-

test habere vllam causam, ergo in nullo esse potest tanquam in subiecto.

8. In eadem pag. 145. asseritur totum cælum non moueri quamuis omnes eius partes moueantur : In hac re mihi maxime placet obseruatio ZABARELL. in 8. phys. in expositione t. 52. si omnes, & singulæ partes circuli mouentur necessario debere moueri totum circulum, & quia omnes partes cęli mouentur, ideo dicendum puto moueri etiam cęlum, hæc est doctrina AVERR. 4. phys. Com. 43. si enim totum est vnio partium vel ipse partes vnitæ, motis omnibus partibus debet moueri etiam totũ; quocirca optimam credo distinctionẽ eiusdem AVERR. 6. phys. Com. 85. Sphęram moueri secundum *formam* quamuis in eodem loco maneat; id vero, quod mouetur motu recto moueri, & secundum *formam*, *& secundum subiectum*; in summa nego motis omnibus partibus totum posse quiescere, videri potest ZIMARA in 1. phys. solutione contradictionis 10. dicam infra hoc cap. 3. n. 16.

9. In Pag. 146. asseritur lumen, quod est actus perspicui *in aere esse formam assistentem non informantem, nec moueri ad motum aeris*. Fateor hanc propositionem mihi visam esse mirabilem, quia in doctrina Peripatetica ego didici lumen non esse substantiam, sed accidens de genere qualitatis, ideo esse inhęrens non assistens. Arguo itaque hunc in modum; nullum accidens vel forma inexistẽs est assistens, quia semper est in subiecto dependenter à subiecto; omne lumen quod est in diaphano productum à corpore lucido est verum accidens, & forma inexistens, ergo nullum lumen in diaphano est assistens, maior propositio probatur ex ARISTOT. in ante prædicamentis cap. 2. *in subiecto inquit est, quod cum in aliquo sit non sicut pars impossibile est esse sine eo, in quo est*; & constat ibi loqui de accidente, quod proprie loquendo est in subiecto;

minor

minor propositio à me probatur multipliciter. ALBERTVS 2. physſ. tract. primo cap. 5. *neque inquit eſt verum de lumine quia lumen non eſt ſubſtantia neque habet eſſe, niſi in recipiente*; & in 2. de anima tract. 3. cap. 10. circa finem, *dicimus quod lumen non eſt corpus ſed eſt forma, & qualitas corporis*, & addit lumen eſſe in peruio, id eſt in diaphano tanquam in ſubiecto, ſicuti calidum ab igne cauſatum recipitur in rebus calidis tanquam in ſubiecto. Vide etiam eundē ALBER. 2. de anima Trac. 3. cap. 12. *lumen eſt qualitas luminoſi*, AVERR. diſp. prima in ſolutione dub. 8. dicit lucem eſſe diuiſibilem ad diuiſionem corporum lucentium, ſed quicquid eſt aſſiſtens non diuiditur ad diuiſionem eius; cui aſſiſtit, ſed hoc conuenit formæ informanti, & dependenti a ſubiecto, vt conſtat ex AVERR. lib. de ſubſtantia orbis cap. primo: neque dicas hoc de luce, non de lumine dixiſſe AVERR. nam alij Codices habent *lumen, & corpora illuminata*. Accedit etiam ALEX. qui primo de anima cap. 13. dicit *lumen perſpicuo ingigni* hoc eſt proprium formę inexiſtentis, quæ dicitur generari in ſubiecto, ſiue ingenerari, vt colligitur ex eodem ALEX. 7. met. Com. 22. Idem ALEX. 2. de anima cap. 36. *lumen inquit in aqua eſt, ignem autem in aqua eſſe impoſſibile eſt*, illud verbum, eſſe in aqua, indicat inexiſtentiam, & inhęrentiam luminis. Idem ALEX. libello de miſtione dicit lumen eſse formam, diaphani vt anima eſt forma corporis *Lumē* inquit *quomodo cogitare poſſumus a diaphanis corporibus ſeiunctū? Neque anima eiusmodi eſt vt ſeparari poſſit*. Anima eſt informans, ergo & lumen. D. THOM. etiam in opuſculo 51. concedit lucem eſse *aliquam qualitatem corporis lucidi, lumen autem eſſe participationem lucis effectam in diaphano*, ſi eſt participatio accidentis eſse debet etiam accidens; idem docet etiam S. THOM. in 2. de anima ſect. 14. circa finem.

Opti-

Optimum etiam circa hoc iudico testimonium PRISCIANI Lydi in THEOPHRAST. cap. 19. vbi testatur Peripateticos docere *lumen esse corporis alicuius passionē vel qualitatem*, nos vero in hac disputatione sequimur peri pateticos. Ad vberiorem doctrinam libet mihi percurrere sententias grauiorum Scholasticorum, qui professi semper sunt sequi doctrinam peripateticam. IOAN. BACCONVS in 2. sent. dist. 13. qu. vnica art. 2. de lumine loquens *comparatur inquit ad ipsum medium sicut ad ipsius subiectum, in quo informatiue recipitur, & tunc est verum quod habet esse reale in medio*, obseruo illam particulam *informatiue recipitur*, ergo informat non assistit. SCOTVS in 2. dist. 13. qu. vnica littera B. *dico, inquit, quod lumen non est substantia completa hoc est per se subsistēs* Si vero lumen assisteret aeri esset substantia subsistens non in alio existens. Concludit paulo post SCOTVS *nec est verisimile quod ad aliquod aliud genus pertineat quā ad genus qualitatis*. HERVEVS quolibeto 7. qu. 18. *dico, inquit, quod est in tertia specie qualitatis, quia aliquo modo infert passionem sensui*; & clarius qu. 20. *lumen est accidens dependens in suo esse, & fieri a subiecto, in quo habet esse*. GABRIEL in 2. dist. 13. qu. vnica art. 2. concl. 4. *lumen, inquit, productum a luce, tanquam à sua causa est qualitas accidentalis eiusdem rationis cum ipsa*. EGIDIVS Quolibetò 5. qu. 10. docet species intentionales educi de potentia materiæ, quia causantur ab agente dependenter a subiecto, sed lumen secundum eundem EGIDIVM in 2. dist. 13. parte 2. qu. 1. & 2. habet esse intentionale, ergo secundum ipsum lumen educitur de potentia materię; sed quicquid educitur de potentia materię illi inhęret, vel inexistit dependenter ab ea, & non assistit materiæ. Obseruanda mihi videtur ratio quam ponderat GAIETANVS Thienensis in 2. de anima Com. 70. *tenebra, & lu-*

& lumen opponuntur priuatiue, tenebra habet fieri circa diaphanum cum sit priuatio luminis in diaphano, ergo & lumen habet fieri in diaphano, & recipi tanquam habitus eius, & patet consequentia, quia priuatiue opposita habent fieri circa idem . Hoc idem aut simile argumentum explicat BASCIANVS Landus in 2. de anima in expositione eiusdem t. 69. *lumen inquit est qualitas quia obscuritas est qualitas; at qui contraria siue opposita sunt in eodem genere* . CARD. Caietanus in 2. de anima expositione cap. 6. de mente AVICEN. dicit *lumen esse qualitatem*; & quoniã meminimus AVICEN., ideo eius sententia paulo accuratius proponenda est: 6. naturalium parte 3. cap. 1. *lumen inquit est qualitas primi membri diuisionis, secundum quod est sic*, intelligit autem diaphanum; fatetur itaque lumen esse qualitatem. Ex discursu etiam PETRI Aponensis in Com. problematum ARISTOT. colligo hanc eandem doctrinam ita ex illo arguendo. Lux est qualitas corporis lucidi particula 11. expositione problem. 33. lumen est ipsa lux recepta in diaphano partic. 3. exposit. problem. 5. ergo lumen in diaphano est qualitas. DVRAND. insignis Philosophus, & Theologus in 2. dist. 13. qu. 1. n. 10. fatetur tam *lucem in Sole, quam lumen in aere esse accidentia*. APPOLLINAR. 2. de anima qu. 19. conclus. 2. *lumen inquit, est qualitas de tertia specie qualitatis*. PAVL. Venet. in 2. de anima in expositione t. 69. *lumen ait esse in diaphano veluti formam in materia, & esse in aere subiectiue*, indicat ergo esse formam inhærentem diaphano tanquam subiecto. IAVELLVS in Epit. 2. de anima tract. 3. cap. 2. *lumen, inquit, & qualitas, &c.* IANDVNVS lib. 2. de anima qu. 20. dicit *lumen extendi per accidens ad extensionem sui subiecti*, at si assisteret non diuideretur per accidens ad diuisionem sui subiecti, vt constat per AVERR. de substantia orbis cap. primo

AQVA-

AQVARIVS in additionibus ad quæstiones FERRARIENSIS 2. de anima qu. 14. obseruat *germanam opinionem ARIST. esse quod lumen sit accidens, & qualitas actiua in subiecto existens.* ZABAREL. lib. de Visu cap. 5. *ARIST. inquit censuit lumen esse accidens.* POLVS LAVRED. in 2. de anima super t. 70. de lumine discurrens non solum asserit lumen esse accidens, sed etiam rationẽ addit, quam supra ego etiam retuli videlicet, quia lumẽ est imago lucis, quę accidens est, accidentis autem imago esse debet accidens. ALEX. etiam primo naturalium questionum cap. 21. videtur inclinare in hanc sententiã quatenus appellat *lumen passionem quãdam factam per habitudinem, & præsentiam lucidi in perspicuo.* Concludam hanc considerationem cum D. THOM. in 2. dist. 13. qu. 1. art. 3. vbi de lumine asserit *esse qualitatem realem in quibusdam proprietatibus conuenientem cum qualitatibus intentionalibus*, & responsione ad 8. *dicendum, inquit, quod lux, & etiam lumen in genere qualitatis sunt*, videri potest idem S. THOM. lib. 3. Meteorologicorum tract. 2. cap. 3. vbi agit de Iride, & dicit *lumen in medio habere esse reale, & naturale*, quamuis aliquo modo possit appellari esse intentionale; quod vero dependeat a medio essentialiter, & tanquam forma informans probatur ibi a S. THOM. hoc argumento, quia educitur de potentia ipsius medij tanquam materiæ, notum autem est omnibus philosophis formam, quę educitur de potentia materiæ esse informantem, & dependentem à materia. Sic credo probatum fuisse lumen esse verum accidens ipsius diaphani, aut formam inhærentem, & informantem, non autem assistentem: & hoc esse dogma Peripateticum.

10. In eadem Pag. 146. asseritur *lumen non moueri ad ad motum aeris.* In hac re cogor esse suspensus animo, & iudicio, quia quamuis ratio supra facta euidenter conclu-

dat

dat lumen debere moueri ad motum diaphani, in quo est subiectiue, quia accidens mouetur moto suo subiecto 4. phys. t. 32. nihilominus auctoritates aliquæ grauissimorũ Script. contrariũ asserunt, ita vt in dubium reuocari videatur hęc veritas: inter Platonicos est FICINVS in expositione interpretationis PRISCIANI Lydi super THEOPHRAST. cap. 19. *non mouetur*, inquit *aere moto, vel aqua:* Inter PERIP. primum locum obtinet ALEX. 2. de anima cap. 36. in vltimis verbis *aqua fluente vel aere dimoto non simul mouetur, ac fertur ipsum quoque, sed semper in eodem manet, cum ea, in quibus est non maneant.* SIMPLICIVS lib. 2. de anima expositione particul. 67. in vltimis verbis, *haud tamen si id, quod recipit quacunque ratione mutetur simul quoque mutatur*. Inter recentiores LVCILLVS Philalthæus 2. de anima in expositione t. 61. secundum eius diuisionem, *lumen*, *inquit*, *non mouetur sed moti corporis lucidi potentia, assistit medio, &c.* THEOPHILVS Zimara 2. de anima in expositione t. 69. pluries repetit *lumen cum diaphano non moueri*: Et nouissime PICCOLOM. lib. de Visu cap. 8. sentiens lumen esse qualitatem spiritalem, dicit *agitato medio à ventis non agitari lumen.* Ego in hac re ambigua considero Auctorum magnum esse dissidium, etenim alij contra asserunt lumen moueri ad motum diaphani subiecti. RICHARD. in 2. dist. 13. art. 2. qu. 1. ad 2. ait *radium destrui ad motum diaphani, & nouum radium in parte succedente causari*; CARD. Toletus 2. de anima cap. 7. qu. 18. ad vltimum argumentum asserit *esse communem sententiam mutato aere mutari lumen, & in nouo diaphano succedente nouum produci lumen.* D. BONAVENT. in 2. dist. 13. art. 3. qu. 2. in fine, dicit lumen esse *in aere veluti in subiecto deferente*, imitatur hanc Doctrinam CHRIST. Marcellus lib. 3. de Anima, cap. 40. dicens, lumen exigere *materiam vbi resi-*

deat. Si habet *subiectum deferens, & materiam in qua resi-det*, necesse est vt ad motum huius materiæ ipsum quoq; feratur. Ego sentio lumen esse accidens reale,, cum S. THOM. 1. parte qu. 67, art. 3. & cum ZABAREL. lib. de visu cap. 7. Dico dependere per se a corpore diaphano, cum HERVEO quol, 7. qu. 20., ideo existimo moueri ad motum diaphani, in quo est; veram opinor esse doctrinam EGIDII in 2. dist. 13. p. 2. qu. 2. alias 3. *lumen* inquit *de necessitate habet fieri in medio: amoto enim medio non remaneret lumen*; verissimum est hoc, ab ARISTOT. acceptum dicente 2. de anima t. 74. contra Democritum *in visu necesse esse aliquod medium, vacuo enim facto, ne dum exquisite, sed nihil omnino videbitur.* Ex quo sic arguo. Forma quæ ita est in alio, vt illo amoto amoueatur non est illi assistens, sed inhærens, lumen ita est in diaphano, vt illo amoto amoueatur, & destructo destruatur, & non possit per se consistere sine hoc subiecto, ergo lumen est forma non assistens, sed inhærens perspicuo. Minor iam probata est ex Aristotele citato 74., & EGIDIO in adducta Dist. 13. ex quo etiam accipio in quolib. 5. qu. 10. *medium diaphanum habere causalitatem respectu formarum intentionaliũ, vt propterea possint dici educta de potẽtia illius medij.* Hoc de lumine pari modo posse dici nemo negabit ob rationis paritatem, forma vero super quã materia habet causalitatem est informans; maior supra allata probatur, quia assistẽs forma nõ dependet a subiecto cui adest neq; ob illius passiones patitur, neq; illo corrupto debet destrui; ex doctri. AVERR. 2. de an. com. 11. *formę, quæ non perficiuntur per materiam possunt abstrahi*; sicuti gubernator a naui & motor remanere potest post suum motum corruptum, sed uera forma addicta suæ materię & de illius potentia educta, separabilis non est: ita AVERR. 1. phys. c. 70. *subiectum sustentat formam secundum quam*

forma

forma non potest esse sine subiecto. Et 4. phys. c. 17. *separatio formæ a materia est corruptio*. Hæc est conditio luminis erga diaphanum, vt vidimus, ergo lumen est vera forma accidentalis informans, addicta suo subiecto, & ab illo dependens; mobilis ad illius motum. Ideo fortasse AVER. 2. de an. C. 69. vocat lumẽ *habitũ corporis diaphani*, & ibidem C. 70. *subiectum obscuritatis, & lucis, est Corpus, & Lux est forma, & habitus istius corporis*. Ex quo sic arguo; vt priuationes attribuuntur suis subiectis, ita illarum habitus, nam sunt ambo apta fieri circa idem, vt dicitur cap. de oppositis: & AVERR. 4. phys. C. 118. *priuationes terminantur in respectu habituum*, at obscuritas, attribuitur diaphano vt vere illi inexistens 2. de An. 70. eo modo quo priuatio potest inexistere; ergo etiam lumen erit forma inhærens suo subiecto diaphano; & hoc etiam obseruauit GAIETANVS Thienensis 2. de anima c. 70. vt supra dixi hoc eodem cap. n. 9.

11. In eadem Pag. 146. affertur ratio ad probandum lumen non moueri ad motum diaphani; quia moto aere illuminato vmbra non mouetur, at si lumen moueretur, vmbram quoque variari necesse esset. Ad hoc argumentũ respondẽt duo auctores ex supra a me citatis, RICARD. in 2. dist. 13. art. 2. qu. 1. ad 2. & CARD. TOLET. 2. de an. cap. 7. qu. 18. ad vltimum: ille prior sic loquitur, *cum medij aliqua pars transfertur, ad directa oppositione radius qui in ipsa erat destruitur, & nouus radius in parte succedente causatur*. TOLET. vero sic ait, *Nouũ, & nouum lumẽ producitur succedẽte aere, & aliud corrumpitur: & lumẽ fit in instanti, ob id radius fixus apparet*. Responsio itaq; est: Quãdo aer qui medium locum obtinet inter lucidum & opacum mouetur, vna cum eo mouetur, & variatur lumen: verum aeri ab illo loco discedenti succedit alius aer, in quo lucidum producit nouum radium, & quia est

idem ſitus lucidi, & opaci, & omnes hi radij producuntur ſecundum eandem directionem ad opacum, ideo vmbra ſemper eſt fixa, vt in eodem ſitu: impedimentum enim lumini ab opaco oppoſitum, ne vlterius tendat facit vmbram, vt obſeruat S. TH. 1. Meteororum in expoſitione Trac. 1. cap. 5., at ſi lucidum, & opacum ſint ſemper in eodem loco, ſemper vmbra ad eandem partem proijcietur: lumina quidem variantur at omnes radij ab eodem ſitu lucidi, ad eundem ſitum opaci ſemper tendunt; hoc facit vmbram eſſe immobilem; verum ſi vel lucidum, vel opacum mutent ſuum locum, ſtatim variabitur locus etiã vmbræ. Hoc poteſt confirmari conſiderando experientiam; in medio fluentis aquæ ſuſpendatur lapis, ita vt in alueo fluminis faciat vmbram; per aquã perpetuo decurrentem radius ſolis variatur, tamen vmbra in eodem manet, quia radius radio ſuccedens vmbram in eodem ſitu generat, ſiue eandem numero, ſiue non eãdem, ſaltẽ quo ad ſitum inuariatam: ſolum vmbra mutatur ad mutationem Solis, lucidi corporis; aut ſi lapis ideſt opacum, ſitum ſuum mutet. Alia etiam experientia hoc perſuadet. Sit lucidum ab opaco diſtans per ſpacium vnius pedis, & hoc ſit plenum aere illuminato, vmbra a radio, terminato ad opacum, fiet per aerẽ; accipiat aliquis cubum vitreum, perſpicuum, & peruium perfectiſſime, & ponat in illo ſpatio, ex ſupra oſtenſis lumen non poteſt conſeruari idem numero, quia mutatur ſubiectum, cum locum aeris nunc occupet cubus vitreus, & tamen in vmbra nulla apparet variatio, quia radius genitus per vitrũ quamuis non ſit idem numero, cum radio prius producto per aerẽ, tamen fertur ad opacum cum eadem directione. In ſumma ſitus vmbræ localiter non variatur ex lumine, ſed ex mutatione locali lucidi, vel opaci, ſiue lumen in medio ſit idem, ſiue diuerſum numero.

12. In Pag. 147. a Dno. meo dicitur *Alexandrum obseruasse secundum Platonicos Ideas esse in nobis*; Ego hic cõsidero 1. Alexandrum hoc non dixisse de Platonicis, 2. neque cum veritate dicere potuisse, nam Platonici non posuerunt ideas esse in nobis. Vt probem illud prius dictum adduco verba tam ARIST., quam ALEX. vbi citantur ab Excellentiss. Collega, nempe 2. Topicorum cap. 3. loco 24. ARISTOTELES ibi sic dicit: *Aut si quid tale dictum est de aliquo, quod cum sit, necesse est contraria inesse, vt si Ideas in nobis quis dixerit esse nam, & moueri, & quiescere easdem accidet, & etiam sensibiles, & insensibiles esse.* Apparet esse dictum hypoteticum, non categoricum; non est enim qui dicat Ideas esse in nobis, at si quis diceret, hæc absurda sequerentur. At non ob hoc dicunt Platonici. Idẽ plane ibi ALEX. non nominatis vllo modo Platonicis. *Si quis dicat Ideas esse in nobis, &c.* SVESS. solũ ibi nescio quid de Platonicis sibi fingit: *Assignat, inquit exemplum de Ideis, quas Platonici in nobis formas esse dixerunt.* Sed hoc dicit ex se se, non ex ARIST. in illo textu. Imo de Platonicis oppositum ibi insinuat ARIST. dicẽs *Nam videtur Idea quiescere, & immobilis, & intelligibilis esse ijs qui ponunt Ideas esse.* En PLATON. sententiam. Alterum pronunciatum, nempe non dixisse PLATON. Ideas in nobis esse, sic ego probo. PLATO in Parmenide, *veruntamen ipsas species neque nos habere, neque circa nos esse posse assentiris? non profecto.* In CRATYLO circa finem: omnia hæc fluere ait, ideas in se permanere, ideo extra hęc inferiora illas collocat. Clarius in Conuiuo, oratione 6. quæ fuit SOCR. *Neque rursus imaginatione quadã ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher aut pulchra manus, aut aliud quippiam cuius corpus est particeps. Neque in alio iacere putabitur, veluti in animali, vel terra, vel Cælo, aut alio quopiam, sed id ipsum, per se ipsum, cum semet*

ipso vniforme semper existens. Hic negat aperte Ideas esse in suis inferioribus Ideatis. Item 6. de Rep. sic distinguit Ideas ab his inferioribus, *Hæc videri dicimus non autem intelligi, Ideas autem intelligi non videri.* In TIMEO *fateri oportet esse speciem quandam, quæ nec in se accipiat quicquam aliunde, nec ipsa procedat ad aliud quicquam.* Legendus FICINVS im Comment. in Parmenidẽ cap. 20. PHILO Iudæus lib. de Cherub. *Idea semper sui similis; cum enim generatio, & corruptio naturæ ordine cadat in res mortales, illæ archetypæ potentiæ istarum rerum fictrices particularium, immortalitatem sua forte adeptæ sunt.* SIMPLIC. 2. phys. c. 13. *patet quod illud animal non naturale, sed intellectuale, naturalis animalis exemplum.* Luculenter EVSTR. lib. 1. ethicorũ exposit. cap. 6. de Platonicis sic scribit. *Vniuersalia appellare consueuerunt formas quidem, & species, quæ ante has, quæ in corporibus cernuntur, existerent, ab hisque omnibus abstractæ, in opificis sui mente essent,* Ecce vbi Ideę sint ex PLATON. sententia: in mente artificis, non in rebus sensibilibus. ARIST. 7. Meta. 53. dicit Platonicos posuisse Ideas separatas. Explicat D. THOM. 7. Met. lec. 15. *Ponunt inquit quod idea est quoddam per se existens, ab omnibus alijs separatum.* Concludo Ideas non esse in rebus sed tantum Idearum participationem, dicente PLATON. in Phædone, *Arbitror si quid est aliud pulchrum præter ipsũ pulchrum, non ob aliud quippiam esse pulchrum quam quia pulchri ipsius est particeps.* Quod si obijcias ARIST. 2. de Gen. 52. dicentẽ secundum PLATONEM *Ideas suscipi in materia,* & ita fieri generationem. Resp. hoc non intelligi quia vere, & proprie ideæ in materia suscipiantur, sed quia fit in materia participatio illarum, vt etiam dicimus cum D. THO. 1. p. qu. 15. art. 2. essentiam Diuinam, vt participabilẽ a creaturis, esse Ideam. *Idea omnis est participabilis,* inquit

quit ARIST. 7. M. 55. at simul etiam secundum esse est a sensibilibus separata secundum PLATONEM. I. AMMONIVS in expositione libelli Porphyrij, in com. proœmij hoc declarat exemplo annuli, cuius figura impressa sit in pluribus tabulis cereis; figura sigilli, & annuli erit separata secundum esse ab imaginibus in cera formatis, tamen illis communicata, itaque participabilis ab illis; verum nō in illis, sed in annulo. Lege 3. met. t. 9. & S. TH. ibi exponentem lec. 7. *Ponunt species esse separatas, & non esse alicubi* inquit S. THOM.

13. In eadem pag. 147. citatur locus D. TH. ex 1. par. qu. 8. art. 1. ad probandum Deum *esse intime in omnibus rebus.* Lætor quam maxime in mentem venisse Dno. meo citare hunc locum D. TH., quia nescio an potuisset adduci vllus opportunior, ex quo constaret Deum non vniri rebus vt formam, sed tantum vt Motorem. *Deus* inquit, D. THOM. *est in omnibus rebus non vt pars essentiæ*, infero, ergo non vt forma, ergo non vt natura, cum natura sit essentia eius cuius est natura. De hoc plura dixi sec. pri. cap. 10. illuc mitto studiosum Lectorem. Nec ARIST. nec D. THOM. vnquam cognouerunt aliam vnionem Dei cum rebus quam vt motoris cum mobili, & agentis cum passo, lege etiam quę scripsi sec. p. cap. 12. de sententia D. THOM. quo ad hoc.

14. In eadem pag. 147. adducitur locus Sacræ Scripturæ ex cap. 1. Sapientiæ, *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Hoc etiam testimonium mirum in modum cōfirmat propositum meum, videlicet Deum non esse in rebus vt formam, & earum naturam. Videamus quo modo tribuatur Deo replere orbem terrarum; LYRANVS exponens hunc locum Sap. cap. 1. *Spiritus Dei est vbiq; per essentiam, & præsentiam; & quia omnia creata, & producta sunt per ipsum:* est ergo in omnibus vt auctor omniū,

vt agens, non vt forma, & concordant hęc cum dictis a S. TH. 1. parte qu. 8. art. 1. ad 1. & art. 3. addit LYRANVS loco citato *ita ferebatur Spiritus Dei super aquas Genæsis pr. idest super materiam informem, sicut voluntas artificis.* Agnosce esse, & adesse rebus per modum causæ agentis, & artificis, hoc non sufficit vt sit forma, & natura proprie. Clarissime S. THOM. citata qu. 8. art. 2. explicans quomodo Deus sit in omnibus rebus, & in omnibus locis, semper adducit causalitatem effectiuam. *Est in omnibus rebus vt dans eis esse, virtutem, & operationem, sic est in omni loco vt dans ei esse, & virtutem locatiuam*, & paulo post, *Deus replet omnia loca quia dat esse omnibus locatis quæ replent omnia loca*: & semper intelligit dare esse effectiue, non formaliter, iuxta determinata ab eodem S. THOM. part. 1. qu. 51. art. 1. ad 3. Optime ergo deducunt Theologi Deum esse in loco *repletiue causaliter, non formaliter.*

15. In pag. 148. asseritur manifeste *Deum assistere subiecto, cui adest, ideo non moueri ad eius motum.* Libentissime accipio confessionem qua nihil verius in hoc proposito dici potest, & dico, Deus est assistens, ergo non forma, ergo non natura, ergo non constituens, omnia fuse explicaui, & probaui, supra sect. 1. cap. 12.; Præter ibi allata hic obseruo locum D. THO. 1. par. qu. 51. art. 3. ad 3. ibi contradistinguit esse *formam* ab esse *motorem*; ex quo sic arguo. Vnitum alicui præcise per modum motoris non est illius forma. Actus assistens vnitur præcise per modum motoris, ergo actus assistens non est forma; maior est S. THOM. citata qu. 51. Minor sic probatur. Vnio per contactum virtutis est vnio motoris; assistens vnitur per contactum virtutis, vt ait S. THOM. 2. contra Gentes cap. 57. ergo assistens vnitur vt motor, non vt forma: neque assistentis principij est talis vnitas cum eo cui assi-

stit,

stit, sicuti formæ, cum materia, vt bene obseruat ACHILLINVS Quolib. 3. Dub. 4. *vnitas essentialis inquit est maior quam vnitas per solam assistentiam*. Vnitas vero essentialis est per formam informantem : vt communiter colligitur ex 8. met. T. 15. exponentibus ibi ALEX. cō. 13., & D. THO. lec. 5. IANDVNVS etiam lib. 3. de an. qu. 5. agnoscit actum assistentem motorem appropriatum. Arguo item hunc in modum. Quod est æquiuoce tale non potest dici tale nisi secundum nomen, & improprie; Assistens est tantum æquiuoce forma, ergo non est forma nisi secundum nomē. Maior est ARIST. in ante prędicamentis cap. 1. Minor est AVER. 2. de an. C. 7. quia enim credit rationalem animam esse assistentem, alias animas informantes, ideo hæc verba profert. *Perfectio enim in anima rationali, & in alijs virtutibus Animæ fere dicitur pura æquiuocatione*. Idem etiam repetit lib. 3. de anima Cō. 5. in solutione 2. quæstionis: quem locum declarans Montecatinus, vere magni iudicij auctor, ita scribit. *Mens materialis non eodem modo quo reliqua anima, est actus primus, & forma tribuens esse, sed plane diuerso, & dicitur homonyme de ea, & de reliquis actus vocabulum; de reliquis quidem dicitur primus actus, quasi de formis inhærentibus, de mente autem, vt de assistente*. Hoc etiam dicūt illi qui sequuntur AVERR. vt PICCOL. lib. 2. de mente humana cap. 18. & IAND. 2. de an. qu. 2.; itē SIMP. credens intellectum non formare hominem in 2. de an. c. 7. negat vniuocationem illius particulæ, *Actus*, vt ponitur in definitione animę; PHILOPON. etiam hoc asserit 2. de an. super t. 7. In summa idem est asserere Deum esse assistentem, & dicere non esse formam, nisi improprie, & patet ex S. THO. 1. contra Gentes cap. 27. in quo simul dicit Deum esse motorem ideo assistere, & non esse formā; Imo quia est mouens primum ideo deducit non esse for-

mam. Et eodem 1. contra Gentes cap. 26. in vltimis verbis. *Non enim similiter dicimus esse formam in corpore, & Nautam in Naui.* Sed legantur supra scripta in sect. 1. cap. 12.

16. In eadẽ pag. 148. dicitur *cælestes orbes moueri quidẽ secundum omnes suas partes, & quiescere secundũ totum: quia circularis motus est partium totius quiescentis.* De hoc iam scripsi in hoc eodem cap. n. 8. ego assero, si omnes, & singulæ partes orbis mouentur, ipsum etiam totum orbem moueri. Persuadet hoc mihi ratio AVERR. 4. phys. C. 43. ponderata ab ALBERTO 4. phys. Tract. 1. cap. 13. *Nihil est dictu,* inquit ALBERTVS, *quod mouetur secundũ omnes partes, & non mouetur secundum totum: quia totum non est extra partes, & ideo cum omnes partes mouentur, necesse est etiam moueri totum.* Adducit etiam rationem ALBERTVS, *licet enim totum, & partes differant ratione, tamen motus non est de numero eorum quæ attribuuntur toti in quantum separatur a partibus, sed potius est de ijs quę attribuuntur ei secundum quod ipsum est in suarum partium collectione integra. Ideo solutio THEMISTII nõ est conueniẽs.* Idem ALBERTVS sic etiam concludit in 6. phys. Tract. 3. cap. 3., *falsum* inquit *est quod quidam dicunt, quod partes mutant locum, & totum manet, quia tunc circulus non moueretur, nisi per accidens, & non secundum se.* Distinctio facta ab AVERR. in lib. 6. phys. C. 85. quod totus circulus mutetur secundum formam tantum, non secundum formam, & subiectum, est communiter approbata. Lege VICOMERC. in 6. phys. super illum tex. 85. S. TH. ibidem lec. 11. EGIDIVS citato 6. phys. explicans illum t. 85. sic ait *quod mouetur circulariter etiam secundum se totum mutat locum.* Videndus AVERR. qui pluribus in locis semper asserit, circulum mutare locum 2. formam 6. phys. 85. 8. phys. 76. 4. phys. 45. 1. de Cœlo c. 31. sed nihil

hil in hoc habere possumus clarius doctrina SIMPLICII 1. phys. C. 19. *Aliquid moueri secundum locum potest, & non mutare locũ ex loco.* Hoc ego dico accidere circulo, mouetur secundũ locũ, & non mutat locum ex loco. Vide ZABARELLAM 8. phys. expositione T. 32. vbi explicat, & defendit opinionem AVERROIS quod sit dicendum totum circulum moueri, saltem sec. formam. Causa itaque cur motis orbibus non mouentur Deus, & intelligentię est, quia sunt actus assistentes, & non formæ nec naturæ cælorum: non insunt illis tanquam subiectis, sed illis tantum ad sunt tanquam mobilibus; si essent in illis vt naturę in subiectis, contingeret quod dixit ARIST. 3. Metaphys. 9. *non esse immobilia, in sensibilibus existentia, motis.* De quo lege ALEX. in 3. metaph. Cõ. 33.

CAPVT QVARTVM.

1 IN Pag. 150. asseritur *formas assistentes esse Naturas.* Hoc argumentum ego tractaui fuse in sec. 1. cap. 12. & dixi actus assistentes non esse Naturas, physice, & proprie: Non est quod aut repetam, aut addam. Videnda etiam illa quæ scripsi sect. 1. cap. 3.

2. In pag. 151. citatur t. 11. lib. 2. de an. vt ex illo probetur actum assistentem esse Naturam: Probauerat ARIST. animam esse naturam; at in t. 11. reuocat in dubium an sit assistens, ergo ad assistentem etiam extendit nomen Naturæ. Hoc est argumentum Excellentissimi Domini. Resp. illum T. 11. habere duas expositiones, quarum vnaquęq; soluit hoc dubium.

Prior expositio est S. THOMÆ 2. de an. lec. 2. respexisse hic ARIST. ad opinionem PLAT. *& quia PLATO po*

nebat quod anima est actus corporis non sicut forma, subiungit quod hoc nondum est manifestum. Hoc est manifestum ARIST. secundum quem omnis anima comprehensa in definitione 2. an. t. 7. est informans, & vera natura, sed non omnino manifestum simpliciter quia oppositum est probabile, ob opiniones sapientum. Nam 1. Top. cap. 1. legimus esse probabile quod videtur sapientibus. Illustro hoc per aliud simile: In 8. phys. credidit ARIST. se demõstrasse mundi, & motus æternitatem, ita vt dixerit audacter 8. phys. 36. *motum non esse impossibile est, ostẽsum est enim prius quod necesse est motum semper esse.* Et in epilogo facto in t. 77. illius lib. 8. patet ARIST. non dubitasse an motus, & mundus ab æterno sint; sustinuit enim affirmatiuam partem semper. Nihilominus 1. Top. cap. 9. ait hoc esse problema neutrum. *Sunt inquit problemata de quibus contrarij sunt syllogismi dubitationem enim habent vtrum sic se habent, an non sic, & de quibus rationem non habemus, cum sint magna, difficile arbitrantes esse propter quid assignare, vt vtrum mundus sic æternus.* Soluitur difficultas cum Piccolomineo lib. de Mundo cap. 34. *id protulisse ARIST. ex sententia Academicorum, quia Problema illud ob sui difficultatem erat Dialecticum apud veteres, non apud ARIST. qui profitetur se superasse difficultatem, & ostensiones ex principijs necessarijs formasse.* Ita an anima esset actus formans erat dialecticum veteribus, at non ARIST. qui probauit animam formare 2. de an. t. 7. 8. 9. & 10. multipliciter, & validissime: Cęterum si aliqua anima esset assistens, non esset natura, non enim constitueret intrinsece, non daret esse formaliter. Iuxta conclusa sect. 1. cap. 12.

Altera expositio, & melior, est SIMPL. Nauta duo in se habet, assistit Naui, & illã gubernat, & regit; non assimilatur animæ in illo t. 11. quoad prius suum attributum, quia

quia anima est formans, at quoad secundam proprietatẽ; Immanifestum ergo est an anima vtatur corpore, an illud regat, & gubernet, sicuti Nauta facit in naui, suo regimini commissa. Est ergo alienum ab illo t. 11. reuocare in dubium animæ informationem sub aliqua suspicione assistentiæ, at illius textus institutum est dubitare an anima quæ format corpus, illud etiam regat vt nauta nauẽ. Expressit mirum in modum hunc sensum ZAB. 2. de an. super illum t. 11. legendum in hoc omnino consulo. In 8. phys. t. 51. dixit ARIST. aliquod esse *quod in recte mouet se ipsum*, huius conditionis est anima cognoscens, & appetens, mouet corpus, quod informat, & in eo mouet se per accidens 1. de an. 42. Alia etiam similitudo animæ, & Nautæ insinuatur a PHILOPONO in expositione illius t. 11. & est huiusmodi. *Nauta vt nauta non est separabilis a naui, sed vt homo est separabilis,* ita nostra mens vt anima est a corpore inseparabilis, propter habitudinem quam ad illud habet, sed vt mens separabilis est. Concludo hanc considerationem, animam esse veluti Nautam, & similem Nautę non consistere in assistentia, sed in vsu spõtaneo, & voluntario sui corporis, quod spontaneum etiã in brutis perfectis reperitur, quę se se mouent, ita habetur lib. 3. ethic. cap. 1. & docet S. THO. 1 2. qu. 6. art. 2., ex DAMASCENO 2. fidei Cap. 24. Huc respexit NYSSENVS in lib. de vita Moseos, siue de vita perfecta dicens, *proprium natura brutorum est ex sensu solo absque intellectus operatione gubernari*: In hoc actu gubernationis cõsistit similitudo cum nauta. Hoc non habet anima vegetatiua, quæ nullo modo cum ratione communicat, 1. ethicorum cap. vlt. non enim est cognoscitiua, ideo etiam, est in plantis 2. de an. 17. Anima brutorum, pręsertim perfectorũ, est veluti nauta, mouet enim, & regit illorum corpora 2. de an. 32. ideo hæc bruta esse debet omnibus sen-

sibus

ſibus prædita 3. de an. 60. & 64. & quia Dominus meus reaſſumit, hunc eundem t. 11. infra pag. 159. ideo iſta reſponſio illuc etiam applicanda, ad excludendam aſſiſtētiam ab Anima.

3. In pag. 151. repetit de lumine eſſe illud formam aſſiſtentem: iam de hoc dixi ſatis diffuſe quid ſentiendum credam ſupra cap. 3. n. 9. 10. 11. illuc Lectorem mitto.

4. In pag. 152. de nauta dicitur quod *non extrinſecus tantum adeſt Naui, praeſtq; forinſecus, in omnibus nauigij partibus intimis exiſtens.* Aequiuocatio eſt euitanda, quæ in his verbis continetur.

Dico nautam, quomodolibet in naui exiſtentem, & in illa incluſum, ſemper eſſe naui extrinſecum: & ad hoc probandum (vt ipſe met qui dubitauit reſpondeat) aſſumo dicta a Domino meo ſupra ſuo lib. 2. cap. 2. pag. 139. & a me obſeruata hac ſect. 3. cap. 2. n. 6. eſſe aliquod ſeparatum vel non, duobus modis poteſt intelligi 1. *diuerſitate ſubſtantię, 2. loco medio interiecto.* Nauta eſt vnitus naui, & non ſeparatus ratione loci, & locati quia illam tangit, nec habet aliquod medium inter ſe, & nauem, verum eſt ſeparatus diuerſitate ſubſtantię; propterea sēper extrinſecus naui. Sit aliquod corpus incluſum in aliquo loco, intra illum detentum, ſemper illi loco appellabitur extrinſecum, quia nihil eſt illius loci, neque locus illius corporis cōtenti 4. phyſ. 30. & 34. Tactus non facit vnitatem 5. met. t. 8. nauta ad ſummum tangit nauem, ideo non eſt vnum cum naui, ergo extrinſecus quoad ſubſtantiam, in naui localiter tantum detentus. Hoc eſſe intrinſecum localiter non ſufficit ad eſſe naturam, iuxta diſputata, & concluſa a me ſupra ſec. 1. cap. 3. debet eſſe vnio eſſentialis vt, SIMPL. 2. phyſ. c. 8. qui etiam videndus eſt accurate 2. phyſ. c. 25. Confirmatur, quia mouēs, & motum debent eſſe ſimul 7. phyſ. ſumm. 3. cap. 1. & tamen

men mouens dicitur extrinsecum mobili vt AVERR. 5. phys: c. 3. & applicando Deo, & intelligentijs, dicit AVERR. 2. de cœlo com. 1. *eos esse extra corpus cæleste* quamuis vt motores sint coniuncti: In summa nauta inclusus in naue, est intra nauem *localiter*, extra *substantialiter*. Videndus THEMIST. 2. phy. in expositione t. 3. requirit inexistētiam substantialem, & essentialem nō localem. Addo etiam, si posset penetrare nauem suis dimensionibus, eo modo quē adducit & reprobat ARIST. 4. phys. 76. adhuc fore extrinsecum naui essentialiter, quia non esset de eius essentia, vt esse debet natura:

5. In pag. 153. dicitur cœlum mouere seipsum participatione primi motoris Dei. Ego dico nisi hic primus motor sit informans non sufficere vt eius participatione Cœlum moueat se ipsum, requiritur forma intrinsece formans, insufficiens est assistens. Probo sic, mouere se ipsū supponit esse vnum ipsum per se; sed ratione assistentis motoris non fit vnum ipsum per se, ergò ratione assistentis motoris non contingit aliquod mouere seipsum. Minor probata est sect. 1. cap. 12. & patet per se, quia ex assistente principio, & eo cui assistit non fit vnum per se. 7. met. 49. & ibi ALEX. c. 38. Maior probatur quia in eo quod mouet seipsum, mouens, & motum sunt idem, at non secundum idem, vt docet AVERR. 3. de cælo c. 28. ARIS. 8. phys. 29. animalibus tribuit ipsa a se ipsis moueri, verum sine vnitate per se non possumus dicere ipsum mouere seipsum, at dicemus hoc mouet hoc, aliud aliud, & hæc duo, *aliud, & aliud*, non sunt vnum. Dicet aliquis in 8. phys. t. 28. vt declaret ARIST. quomodo animal mouet seipsum accipit loco clarioris exempli, motum nauis a nauta. Resp. esse exemplum simile in aliquo, non in omnibus par, & æquale: vt considerauit etiā ZABAREL. in expositione illius t. 28. Nos meminisse debe-

debemus præcepti Aristotelici 1. de Gen. t. 18. in exemplis *modum quærimus, non subiectum*; explicamus quo modo animal moueat se, non quærimus quid illi exemplo subijciatur, nam vere ex nauta, & naui non sit vnum quod moueat se, sicuti ex anima, & corpore in animali: CARD. TOLET. applicat hoc exemplum nautæ, & nauis ad ostendendum in animali partem mouentem esse realiter distinctam a parte mota, sicut nauta a naui, sed est differentia, quia nauta, & nauis non informantur vna forma ob quam conueniant in vno esse sicuti pars mouēs & mota in animali, ob vnitatem vnius Animæ informantis.

CAPVT QVINTVM.

1 IN pag. 156. asseritur Deum, & Intelligentias, quamuis sit actus assistentes, tamen, vt sunt primi motores, dare esse specificum Mundo, & Cælis. De hoc loquutus sum sectione 1. cap. 12. Hic tantum reassumo distinctionem, ne peccemus in æquiuoco. Dare esse cōtingit dupliciter, *effectiue*, & *formaliter*, ita S. THOM. 1. par. qu. 51. art. 1. ad 3. & ACHILL. 3. de orbibus Dubio 1. Deus dat esse *effectiue*, non *formaliter*: citato art. 1. ad 3. Hæc distinctio tollit omne dubiū, nam omnia hic allegata à Domino meo probant solum Deum dare esse rebus *effectiue*, nunquam *formaliter*. Citat autem 1. Met. sum. 2. cap. 2. quem locum de causa efficiente loqui non de formali iam ostendi sect. 2. cap. 1. n. 8. Item citatur 1. de Cælo t. 100. vbi est manifestū esse sermonē de effectiua causa. *Immortale* inquit, *& diuinum, vnde, & alijs pendet, his quidem exactius, is autem*

obscurius, esse & viuere, SIMPL. 1. de Cælo C. 97. explicat de causalitate causæ efficientis, *omnibus* inquit *ab ipso prouenit, esse, & viuere*; similiter D. THO. 1. de Cælo lec. 21. *ostendit influentiam eorum in alia, &c.* & explicat per 2. Met. t. 4. qui ex communi sententia loquitur de causa efficiente rerum vt ibi AVERR. & ALEX. 2. Met. C. 7. SVESSANVS etiam in illo primo de Cælo expos. t. 100. concordat cum D. THOM. Dico ergo illum t. loqui de dare esse effectiue, non formaliter: Si interpretaremur illum t. 100. cum ALEX. de cælestibus corporibus non de Intelligentijs, cessaret omne dubium; esset enim sensus vt ait SIMPL. citato Com. 97. *a cælesti euo dependere esse omnibus*, profecto vt a causa efficiente; Dicam breuiter t. 100. lib. 1. de Cælo non probare Deum esse rerum formam, sed ad summum causam effectiuam, vel finalem, vt ait ALEX. 12. met. c. 25. Adducitur etiam t. 49. lib. 12. meta. sed hic t. fuit fusissime explicatus sec. 2. cap. 1. n. 11. & iuxta SIMPL. 1. de Cælo C. 88. ostendi illum tex. loqui de pr. Motore, vt de causa efficiente, non vt de causa formali. Hic summatim reassumo rationem ibi factam. Effectui adæquato respondet vna prima causa adęquata, Mundus hic noster est effectus adęquatus, quia est omne, & perfectum 1. de Cælo 4. ergo mundo respondet vna prima causa adæquata: ista causa est primus motor, non vt causa formalis, quia mundus nō habet vnam formam, sed vt causa efficiens, & finalis; modo si alius mundus sit extra hunc nostrum, erit aliquid præter effectum adęquatum huius primę causę mouentis, nam hic motor primus mouet suum primum orbem, & quæ sub illo continentur, adeo vt motus primi orbis appelletur motus totius 2. de Gen. 56. & 2. de Cælo 20. si innouetur aliquod extra hunc primum orbem, & non dependens ab illius motu, necessarium erit pone-

realiam entium coordinationem, & aliud eius principiũ mouens, & effectiuum: Multiplicatis ergo mundis multiplicarentur formæ, idest ordines disparati, cum mundi forma sit in ordine, vt ait ALEX. 2. Natur. cap. 19. & consequenter multiplicarentur causæ effectiuę, quæ sunt immediata capita, & principia horum ordinum. Sed vide cit. t. 49. in sec. 2. cap. 1. n. 11. & eius explicationem.

2. In eadem pag. 156. dicitur *ab intelligentia cœlum animatũ esse*: Iã supra dixi sec. 2. cap. 7. n. 9. me nõ dicere cœlos esse proprie animatos, sed pro certo habere, si sunt animati nõ esse animatos ab intelligentia; confido nunquam Dominum meum probaturũ hanc cõsequentiam: Cœlũ est Animatum, ergo ab intelligentia: Hanc consequentiam ego nego.

3. In pag. 157. asseritur *Deum esse formam substantialem, & partem essentialem Mundi totius, cũ Mundus sit viuens, ex vniuersa Corporũ naturaliũ congerie velut ex Materia, & ex summo Deo, illis assistente, veluti forma specifica*: de hoc iam dixi meam sententiam supra sec. 2. cap. 1 n. 10. eadem sec. 2. cap. 10. n. 8. & hac sec. 3. cap 3. fere per totam, præcipue n. 2. & 3. illa sufficiant circa hãc materiam vbicumque Dominus meus appellat *Deum partem*, vt infra pag. 185. 189. & 190. Hic fateor meam ruditatem. Aut ego non intelligo dicta a Domino meo, aut ipse formæ assistenti tribuit omnia attributa essentialia formæ informantis, & quoad prędicata, & munera vtramque confundit: Constat inter nos Deum assistere Cœlo; non informare, hoc posito ego probo non posse dici formam substantialem mundi, & partem essentialẽ, ita vt in compositionem mundi vna cum corporibus sensibilibus veniat Deus: Adduco propositiones ab omnibus approbatas, quæ non possunt esse veræ si Deus est

pars essentialis & specifica forma. FERRARIENSIS in 1. contra Gentes exposit. cap. 27. in prima ratione, *diuinum esse nō potest esse actus formalis alicuius entitatis a se realiter distincta*. SCOT. in 1. dist. 8. q. vnica litt. K. ibi ad secundum principale ait quod *dare alicui esse formaliter semper dicit imperfectionem, a tali modo dandi esse inseparabilem*: Eleganter S. BERNARDVS Serm. 4. in cantica. *Esse omnium dixerim Deum, non quia illa sint quod est ille, sed quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Est *ergo Deus esse omnium non essentiale, sed causale*, vt ex hoc loco BERN. notat D. THO. 1. Dis. 8. q. 1. art. 2. & 1. par. qu. 3. art. 8. ad 1. *Deitas est esse omniū effectiue, & exemplariter* & ad 2. est *forma exemplaris non qua est pars compositi*. Neque ARIST. dixit vnquam Deum esse mundi formam, sed esse caput, & principium ordinis in quo consistit esse mundi, ita 12. met. 52., & alibi. Remoueamus ergo hæc attributa a Deo, nam hoc est verbis dicere Deum assistentem, & re facere informantē, cum summo præiudicio diuinæ perfectionis, atque ista responsio semper applicetur omnibus locis, vbi Domin. meus dicit *Deum esse partem formalem, & ssentialem* vt pag. 185. 189. 190. & alibi in hoc suo 2. libro.

4. In eadem pag. 157. sic dicit Dominus meus: *Nauta qui naui est forma assistens, naui tribuit non solum operationem, sed & ipsum esse Nauis formaliter*. Ego hic fateor imbecillitatem meā, aliter semper sum philosophatus, & dixi Nauem in se esse nauem ratione suę formæ, cum nō repugnantia ad nauigationem, a nauta autem habere solum actum secundum, in actu primo non constitui a Nauta: Didici hoc ex S. TH. 1. contra Gentes cap. 26. in vltimis verbis. *Non similiter esse dicimus formam in corpore, & nautam in naui*. Forma dat esse, nauta non est forma, ideo non dat esse: Idem S. THO. 5. de potentia art. 10.

in corpore: *vnionem nauta cum naui vocat accidentalem, sicut istrumenti cum homine*, at vnio accidentalis non dat esse: & 2. de anima lec. 2. *nauta* inquit S. THOM. *est actus nauis vt motor tantum*. Ergo vnitur nauta vt det operationem non vt det esse naui, & quęst. de anima art. 1. *si anima esset in corpore vt nauta in naui, non daret speciem corpori*, ergo nauta non dat speciem naui. ALBERTVS 2. de an. Trac. 1. cap. 4. nautam solum agnoscit esse motorem in naui, IANDVNVS 3. de An. qu. 5. *esse actum sicut nauta nauis est non aliter esse actum nisi sicut motus appropriatus dicitur actus proprius corporis*. Nauta ergo est actus vt motor, & dans operationem SVESSANVS de Intellectu lib. 1. Trac. 2. cap. 10. ait formam assistentem vniri vt motricem, non dando speciem, sed *in esse operatiuo*: nauta est assistens; ergo vnitur vt motor. EGIDIVS Romanus in 2. de an. exponens t. 11. esse actum vt nautam, & vt motorem pro eodem accipit, & contradistinguit ab actu per modum formę, forma dat esse, motor & nauta operationem, & motum.

Philo lib. de Agricultura nautæ officium agnoscit *gubernare nauem*, non dare illi esse. Sed ne diutius immorer in re leuissima, sufficiat dicere *Nautam appellari motorem separatum* vt ait Appollinaris 2. de an. super t. 11. ideo non dare esse: & in summa dico. Quod dat esse est forma, nauta recedit ab esse formę, vere enim non est forma, ergo non dat esse Naui. Vide CARD. CAIET. 2. de an. cap. 1. circa finem sic loquentem, *Nauta non est quod quid erat esse, neque substantia nauis, sed coniungitur sibi, tantum vt motor, vt patet*. Dico ergo pro conclusione quod nauta naui coniungitur non ad esse illi tribuendum, sed ad solam motionem, & operationem exercendam. Concludo cum THEMIST. 2. phys. super t. 3. *in definitione Nauis nullus comprehenditur Gubernator,*

ne-

neque contra, nauis in definitione Gubernatoris.

5. In eadem pag. 157. & 158. affertur ratio ad probandum *nautam dare esse naui*: quia sine nauta nauis est solum æquiuoce nauis, sicut oculus mortui 2. de an. t. 9. vt caro, & facies mortui 1. de Gen. An. cap. 1. 7. met. t. 39. vt nauis vnius palmæ, & duorum stadiorum, cuius ob nimiam paruitatem, aut excedentem magnitudinem nulla esse potest nauigatio 7. Politicæ cap. 4. Ad hæc respondeo ita distinguendo: Oculus, facies, caro, Nauis, & si quæ alia huiusmodi, duobus modis se se possũt habere ad suas operationes, primo *repugnanter, & cum intrinseca inhabilitate in actu primo, 2. solum negatiue*, Priore illo modo si sunt, certum est omnia esse æquiuoce talia, quia non solum non operantur actu, verum etiam sunt inhabilia intrinsece vt illis agens vtatur; talis est oculus mortuus, & cæcus, talis est nauis vnius palmæ, aut chartacea, aut plumbea, aut picta, sine remis, & velis, in summa ob aliquem defectum suæ formæ in actu primo. Sed posteriore modo est formaliter, & vniuoce nauis, quamuis sine actuali nauigatione; quoniam vero formam, & habilitatẽ ad opus nauigationis naui non dat nauta sed supponit, dat potius fabricator nauis effectiue, ideo nauta nullo modo dat esse naui, sed operationem tantum, præsupposita forma, & esse nauis in actu primo. Vana est itaque comparatio cum oculo mortuo, vel cæco, & cum naui vnius palmę, aut duorum stadiorum, sed fiat comparatio cum oculo clauso, sed habente potentiam visiuam, cum gladio acutissimo sed quo nullus miles vtatur; cum naui optime instructa cum qua tamen nullus vnquam nauta nauigauit. Hæc omnia sunt vere, & vniuoce talia, quamuis ad operationes suas se habeant *negatiue*, non tamen intrinsece *repugnanter*, & inhabiliter. Ita intelligo Philoponum 2. de an. super tex. 11. dicentem *Nauis formam* per-

perficit gubernator, perficit quoad actum secundum, vt visio dicitur oculi pfectio, & actus, li. 2. de an. 10. at visus perficit in actu primo 2. de an. 9. Non est omittenda consideratio SVESS lib. 1. de Intellectu Trac. 2. cap. 12 *substantia* inquit *separata non alij fit præsens, aut indistans ab alio nisi quando operatione continuatur illi.* at Nauta est substantia a naui separata, ergo Naui continuatur sola operatione, aut tactu. ergo nõ ad dandum esse. Qui vult videre officium formę assistentis, & agnoscere illam non dare esse, sed operationem tantum, legat optimos, & eruditos recentiores. CARD. TOL. 2. de an. qu. 2. initio, RAGVSEIVM disp. 20. cap. 2. Auersam quæst. 57. sec. 2. CONIMBRICEN. 2. de an. cap. 1. qu. 6. art. 2. RVVIVM 2. de an. qu. 7. ZABARELL. de mente humana cap. 2. GAIETAN. Thienensem 2. an. super t. 11. vbi confundit nautam cum motore, at motor non dat esse mobili, sed motum. Hos auctores in re clarissima sequi non me pudet. Vnus scrupulus super est ob subtilitatem quandam CARD. CAIET. in lib. 2. de an. expositione cap. 1. circa finem, vbi ait *recedente nauta non remanere nauem nisi æquiuoce: eo quod remaneret destituta omnibus suis operationibus sicut remanet Corpus exanime*. Resp. tamen iuxta supradicta. Nauis sine nauta remanet destituta operatione, at non habilitate intrinseca ad operandum, non est vt corpus exanime, sed vt corpus viuum dormiens, non operans, vt habitus non exi ens in actum. 2. de an. t. 5. Obseruo ex CARD. TOLET. in expositione cap. de oppositis, Priuationem esse aliquando *solius actus* vt si claudam oculos, aut in tenebris sim, non video, aliquando *potentiæ propinquæ* vt si oculus amittat visum, aliquando etiam *potentiæ remotæ*, vt si oculus amittat animam: Priuatio actus secundi, retenta potentia tam proxima, quam remota non facit rem priuatam es-

se

ſe talem æquiuoce, oculus enim nō videns eſt vniuoce oculus dummodo viuat, & habeat potentiam viſiuam. Priuatio potentiæ facit rem eſſe æquiuoce talem, 2. de an. t. 9. & in hoc obſeruandus locus notabilis ARIST. 4. Meteoror. t. 54 *omnia ſunt terminata opere, omnia enim quæ poßunt facere ſuũ opus vere ſunt, quod autem non poteſt, æquiuoce, vt oculus mortuus, aut lapideus*. Sufficit poſſe facere ſuum opus, & non habere ab intrinſeco impedimentum. Obijcietis ARIST. ibi dicere *vt oculus ſi videt*, ergo vt vere ſit oculus requirit viſionem, & actum ſecundum. Reſpond. ſi videt ſaltem potentia propinqua, non habens impedimentum intrinſecum ad videndum; ARIST. 2. de an. t. 53. *Sentire dicimus dupliciter, potentia enim, & audiens, & videns, audire, & videre dicimus, & ſi fuerit dormiens.* Habens oculos clauſos videt in potentia proxima ſecus ſi ſit cæcus, aut mortuus: Addo etiam alium t. videlicet 55. in 2. de an. *eſt enim ſic ſciens aliquid ſicuti ſi dicamus hominem ſcientem, quoniam homo ſcientium eſt, & habentium ſcientiam*. SIMPL. hunc locum enarrans, *quilibet inquit homo ſciens eſt poteſtate, quippe qui aptus ſit eruditione imbui*. In ſumma, redeundo ad rem noſtram, Nauis eſt vera nauis ſi habet in ſe omnia ſibi requiſita in actu primo, per quę ſit habilis ad nauigandum; ſi non adſit nauta, ceſſat nauigatio non aptitudo, & habilitas formalis ad eſſe nauigabile, ideo neque eſſe nauem, vt homo dormiens eſt rationalis, quamuis nō ratiocinetur, & ſecuris eſt ſecuris ob ſuam formã 2. de an. 8. ſed hęc fortaſſe ſunt leuiora quam vt diutius circa illa immoremur.



CAPVT SEXTVM.

1 IN pag. 162. est obseruanda confessio Domini mei, *Natura formaliter est principium tum constitutiuum intrinsece corporis naturalis, tum effectiuũ motus in eo in quo est.* Ego modo subsumo minorem, Assistens non est principium constitutiuum intrinsece corporis naturalis, ergo assistens non est natura, minorem probaui sec. 1. cap. 12. & nunc addo ipsam vim vocis *assistere*. Significat enim adstare iuxta, & pręsentem esse, siue adesse, hoc semper significat esse aliud distinctũ ab eo cui assistit, & illi extrinsecum. Ita Deus dicitur adesse rebus vt ait S. TH. 1. p. qu. 8. art. 1. & eadem qu. 8. art. 3. *Deus est in omnibus per essentiam inquantum adest omnibus vt causa essendi*. Obseruo eũdem S. THOMAM 1. par. qu. 112. art. 3. dicit enim *assistere esse acceptum ad similitudinem eorum qui alicui regi famulantur. Quorũ aliqui semper illi assistunt, & illius pracepta audiunt*. Hæc omnia denotant assistens esse aliquid extrinsecum illi cui assistitur. Nolo in hoc esse longior, sufficiat afferre verba, & doctrinam D. TH. 2. contra Gentes cap. 57. ait, *vnionem per contactum virtutis non facere vnum per se*. Hãc vnionem contradistinguit ab vnione formæ cũ materia, & indicat talem esse vnionem motoris, & mobilis, & in specie *Nautæ, cum naui*; Ista ergo quæ sic assistunt non faciunt vnum per se, neque intrinsece constituunt. Nolo pręterire aliam considerationem: Assistens forma vocatur separata à Philosophis, ideo intellectus secundum opinionem AVERR. dicitur esse separatus, vt appellant S. TH. Opusc. 16. & HENRICVS de Gandauo Quol. 3. qu. 15. & tamen est assistens homini, ex illa Auerroistica opinione, vt ait IANDVN. defensor huius sententiæ 3. de an. qu. 5. & SVESS. 1. de Intellectu Trac. 2.

cap.

cap. 10. vbi obseruo hæc verba, explicantia qualis sit actus assistens. *Intellectus non vnitur homini dando illi speciem, nomen, & definitionem*, ecce quomodo assistens non dat speciem, ideo non constituit, pergit SVESSANVS; *Intellectus est tanquam ars, homo tanquam martellus, intellectus quidem motor, homo vero motum quoddam, intellectus vtens, homo vsus, ac operatus*, Ecce quó peruenire potest actus assistens, & eius vnio; omnia tendunt in vnitatem per accidens, non in veram constitutionem. Accedat ZIMARA, in Tabula, in verbo, *Forma hominum in eo quo sunt homines, &c.* exponit opinionem AVERR. de intellectu hominis, qui est assistens, *Intellectus* inquit, *apud ipsum*, AVERR. *non est de genere formarum inhærentium, sed abstractarum*. Noto assistentem esse abstractã; *Quæ extrinsecus perficiunt*. Ergo assistentes non perficiũt intrinsece: pergit ZIMARA *sicut Dominus est forma serui sui*. Et citat 12. met. C. 37. vide Lector quam extrinseca perfectio rei sit actus assistens: Quomodo ergo conueniet cum Natura quæ ex hic concessis a Dño. meo est constitutiuum intrinsecum? de eodem loquens PAVLVS Soncinas, 12. met. qu. 23. concludit intellectum ita vnitum vt ponit AVERR. *non vniri homini secundum esse*. Ergo non est vera natura hominis concessa tali assistentia: ergo assistens forma non est natura. CHRIST. Marcellus lib. 5. de Anima cap. 13. loquens ex AVER. sententia dicit quando intellectus vnitur corpori, non esse *intraneam substantiarum copulationem*, hoc etiam cõfirmat actum assistentẽ *intranee* vt sic dicam, nõ copulari, & quia ibi dixerat MARCELLVS fieri tamen vnionẽ per se, statim declarat, ideo dici per se quia *intimã illi communicat actionem* ergo vnio ista attenditur penes operationem, cæterum quoad actum primum ait esse similẽ coniunctioni artis, & instrumenti pro opere perficiendo,

quæ est coniunctio per accidens . Hæc omnia eo tendunt ut probem principium assistens non esse constitutiuum intrinsecum, ut est natura. Concludo tandem cum verbis SCOT. ferentis iudicium de opinione AVERR. circa animam intellectiuam ab illo positam assistentem. SCOT. itaq; lib. 4. dist. 43. q. 2. lit. A. sic ait; *Omnes Philosophi communiter in definitione hominis posuerunt rationale, tanquam eius differentiam propriam, per rationale intelligentes animam intellectiuam esse partem essentialem eius: nec breuiter inuenitur aliquis philosophus notabilis qui hoc neget* : Ista est opinio dicentium animam intellectiuam esse formam informantem hominis, & eius partem essentialem; Huic opinioni communi contra opponitur AVERR. de quo sic ibi pergit SCOTVS. *Licet ille maledictus AVERROIS in fictione sua 3. de Anima ponat, intellectum esse quandam substantiam separatam, &c.*
Ex quo loco sic arguo. AVERR. ponit intellectum esse substantiam separatam, non partem essentialem hominis, per supradicta verba SCOTI; At AVERROES ponit intellectum esse assistentem homini, ergo assistens forma est substantia separata, non pars essentialis, Minor propositio probatur, per ea quæ de opinione AVERROIS affert IANDVNVS 3. de an. qu. 5. & clarissime constat ex dictis à ZABAR. de mente humana cap. 3. In summa constituere est officium formæ informantis, non assistentis, ideo secundum AVER. non constituit hominem intellectus sed cogitatiua, vel phãtasia, vt obseruãt, & doctissime duo recentiores optimi iudicij, videlicet ZABAR. de mente humana cap. 3. & PICCOL. lib. 2. de Humana mente cap. 18.

2. In eadem pag. 162. hæc verba habentur *Intellectus separatus ab homine, & extra corpus naturale, nullum motũ efficiens, ac solum intelligens, vere natura non est Aristoteli.*

ʃtoteli. Ego circa hoc dicam quod ſentio. Diſtinguo cum optimis recentioribus præcipue cum RVVIO qu. 1. proœ. in lib. Anima. *In Anima ſeparata duo ſunt diſtinguenda, videlicet aptitudo informandi, & operandi per corporis miniſterium, & modus actualis eſſendi, & operandi ad ſimilitudinem completæ ſubſtantiæ ſpiritualis.* Aut ſic diſtinctio proferri poteſt: Animam ſeparatam duobus modis poſſumus conſiderare: primo penes prædicata illi conuenientia tanquam formæ, 2. penes ea quæ conueniunt ſecundum ſtatum ſeparationis; Quoad illa priora prędicata dico *Animam ſeparatam eſſe veram naturam, & ſpectare ad conſiderationem phyſici*: Quoad poſteriora dico tranſcendere conditionem naturæ, & non pertinere ad conſiderationem phyſici. Probo illâ priorem aſſertionem. Quandiu in anima remanet eſſe formam, tandiu remanet eſſe naturam, at in mente ſeparata remanet eſſe formam, ergo etiam in ſeparata remanet eſſe Naturam. Maior eſt certa quia forma eſt natura 2. phyſ. 10. Minor probatur ex S. THOMA Quæſt. de Anima Art. 1. ad 10. *Corrupto corpore non perit ab Anima natura, ſecundum quod competit ei vt ſit forma, licet non perficiat materiam actu.* Et 2. contra Gentes cap. 81. *animæ ſecundum ſubſtantias ſuas ſunt formæ corporum, inquantum autem ſunt formæ oportet eas eſſe corporibus commenſuratas; vnde patet quod ipſæ diuerſæ commenſurationes manent in animabus ſeparatis*; Ex quibus ſic arguo, Commenſuratio ad corpus eſt in anima quatenus eſt forma, Commenſuratio remanet in Anima ſeparata, ergo Anima ſeparata adhuc eſt forma. In 3. etiā Sententiarum diſt. 5. qu. 3. art. 2. *Anima eſt pars humanę naturę, non natura per ſe: ideo anima ſeparata non poteſt dici perſona, quia habet naturam vt ſit pars.* Idem D. TH. De ſpiritalibus creaturis art. 2. ad 5. *anima eſt pars.* Idem habetur

2. contra Gentes cap. 83. at constat esse partem essentialem, ergo vel erit materia, vel forma, non materia vt est certum, ergo forma; vt in hoc proposito vtar argumento Aristotelis 2. de an. 24. & 25. Concludo cum eodem D. THOM. 1. par. qu. 76. art. 1. ad 6. *anima humana manet in suo esse; cum fuerit a corpore separata, habens aptitudinem, & inclinationem naturalem, ad corporis unionē.* Ex quo posito sic arguo. Anima secundum suum esse quo inclinatur ad corpus est forma, anima separata manet in suo esse quo inclinatur ad corpus, ergo anima separata est forma, & propterea Natura, & vt sic Physicæ considerationis.

3. In eadem pag. 162. adducitur text. qui in hac materia negociū potest facessere: & est in lib. 1. de [illegible] an. cap. 1. vbi determinatur *non omnem animam esse naturam*, præcipue a corpore, & a materia abstractam. Et respondeam adduco [illegible] Arist. in 6. metaph. 2. *De quadam anima inquit speculari naturalis est, quæcumque non sine materia*; tunc dico: Quæcunque de anima separata cognosci non possunt nisi cum habitudine ad materiam, illa a physico sunt consideranda, & conueniunt animę vt naturę, & de his nō loquitur 1. cap. 1. de partibus. Quæcunque autem sunt ex conditione illius status, non cum habitudine ad materiam, illa nec a physico considerantur, neque animæ separatæ conueniunt vt naturæ, & de his loquitur cap. 1. lib. 1. de partibus. Legenda sunt ea quæ scripsi in hac eadem sec. 3. cap. 2. n. 2.



CAP.

1 IN pag. 167. affertur expositio t. 71. in lib. 2. physicorum: Dum ibi dicit ARIST. *Quæcunque non mota mouent non amplius Physicæ sunt*: Dominus meus dicit ibi illo verbo *Physicæ* non significari *Physiologiam*: Ego sensio cum communi omnium sententia ibi Physicam accipi pro *Physiologia*. In editione Argyropyli, sic habentur hæc verba, *Quæ vero tales non sunt, naturalis considerationis non sunt* THEMIST. sic explicat hunc locum. *Nam si sit immobilis aliqua, quæ tamen sit principium motus, non Physicus amplius, sed Philosophus primus finiendæ illius negocium suscipiet, atque munus*. SIMPLICIVS 2. physic. C. 54. *quęcunque vero immobilia mouent, non amplius ad naturalem spectant*. D. TH. 2. physic. lec. 11. *quę vero mouent, sed non mouentur non sunt de consideratione naturalis philosophiæ*. FRANCISC. VICOM. *quę cum mouent non mouentur non iam ad physicam spectant*. SVESSANVS eodem modo exponit: *quæ non mouentur considerationis naturalis amplius nō erunt*. Cum ergo hæc expositio ex ipso tex. 71. habeatur, & ex omnium consensu, non video cur ab illa discedere debeamus, sine causa.

2. In eadem pag. 167. adducitur ratio, quare in illo t. 71. non debeamus *Physicam* interpretari *Physiologiam*. Quia ita excluderentur a consideratione Physiologi omnia quæ non habent motum; vt materia, passiones, principia. Respondeo breuissime cum doctrina ZABARELLÆ lib. de constitutione naturalis philosophiæ Cap. 2. Illud quod mouet, & mouetur spectare ad physicam vt subiectum, alia quæ mouent non mota, au quomodocunque non mouentur posse spectare ad physiologiam vt passiones, aut vt principia, non autem v

subie-

ſubiectum, & hoc remouet ſcrupulum Domini mei. Ego miror Excellentiſsimum meum in pag. 172. mihi imponentem, quod ego conatus ſim probare conſiderationem immobilium eſſe omnino interdictam Philoſopho Naturali. Ego ſolum dixi, & dicam perpetuo 1. à phyſico illas ſubſtantias immobiles non conſiderari vt *ſubiectum*, ſed tantum vt *principia* cum ZABARELLA citato cap. 2. Item illas ſubſtantias a Phyſico non conſiderari quidditatiue, perfecte, quoad *quid*, ſed quoad *eſſe*. Cum AVERROE 1. phyſicorum Com. vlt. 2 phy. Com. 22. & 26. & clariſſime 2. phyſ. Com. 73.

3. In pag. 190. hæc habentur verba: *Nos dicimus ex Ariſtotelis doctrina Deum eſſe partem eſſentialem totius mundi, ac vniuerſi formam, vt intellectus humanus eſt pars eſſentialis & forma ſpecifica hominis.*

Huic dogmati ego non poſſum vllo modo conſentire; ſic enim dico. Aut iſta comparatio Dei, & intellectus; illius erga mundum, huius erga hominem accipitur *adæquate, ſtricte proprie, aut tantum proportionaliter*, ſi dicas hoc poſterius, non erit ad rem, quia ea conceſſa ſecundum aliquam proportionem, negabitur inde ſequi Deum eſſe veram naturam mundi, ſicuti intellectus eſt vera natura hominis, & iſte ſenſus proportionalis eſt reijciendus ab eo qui quærit ſcientifice proprietates rerum, cum illa certitudine de qua in 2. Metaph. T. 16. At ſi intelligatur adæquate, & ſtricte, contra arguo; intellectus informat, Deus eſt in mundo vt intellectus in homine, ergo Deus informat mundum, quod eſt falſum. Aut ſic arguo. Intellectus eſt forma totius hominis, & partium ſingularum eius, Deus in mundo eſt ſicut intellectus in homine, ergo Deus erit forma non ſolius mundi ſed partium etiam ſingularum eius, quod eſt contra Dominum meum in hac eadem pag. 190. Iſta abſurda

sequuntur si intelligamus talem comparationem inter Deum, & intellectum humanum *proprie, & stricte*, ergo intelligenda *large, & proportionaliter*; & sic nihil concludet ad rem, neque euincet vt Deus sit Natura. Ego hic quæro exactam tractationem vt loquar cum ARIST. 1. eth. cap. 3. quia sumus in quæstione scientifica non oratoria, non topica, si ergo comparatio sit *proprie*, & *exacte* aut Deus informabit mundum sicut Intellectus hominem, aut intellectus assistet homini sicuti Deus Mundo, vtrumque est falsum, & erroneum, ergo male sit talis comparatio, aut nihil concludens, aut falsum.

PERORATIO

AD LECTOREM.

NON ero longior, ne sermonis prolixitas tœdio afficiat Lectorem; ad breue compendium omnia contraham.

Constat inter nos, Deum, & Intelligentias esse assistentes suis orbibus, & toti Mundo, Dominus meus credit hoc sufficere ad hoc vt appellentur Naturæ, *proprie, physice, & stricte*, ego nego hoc sufficere, & desidero veram, & physicã informationem. Actum assistentem semper appellabo extrinsecum, etiam si sit vnitus loco, si-

tu, actione, contactu, virtute actiua; substantialiter semper ita erit distinctus, vt merito appellari debat separatus. Concludo cum SIMPLICIO 2. phys. C. 12. dicente; ex suo proprio charactere naturam debere distingui à duobus, primo ab immaterialibus, incorporeis, & separabilibus, quæ omnia *sunt supra Naturam*, 2. ab artificialibus quæ *sunt deteriora naturalibus; Naturalia* inquit SIMPL. *media sunt inter vtraque;* Habenda etiam semper, præ oculis illa sententia SIMPLIC. 2. phys. C. 56. *primum mouens a natura distingui;* & illud ALBERT. 2. phys. Trac. 1. cap. 3. *Mouens ante quod non est aliud, non est natura, vt Peripateticis placuit, sed intelligentia ordinis superioris, & primi, vel causa prima.* Hæc est solida doctrina, Peripatetico calculo firmata: quam optimi quiq; & antiquiores, & recentiores, ARIST. veri sectatores perpetuo, & vnanimes docuerunt, & tutati sunt, ita vt non liceat, nisi improprie loquendo, aut inferendo vim dictis ARIST. oppositum docere.

FINIS.

INDEX

Rerum Notabilium.

A

D

Est

L

M

N

Na-

P

Q

S

Spe-

T

V

Finis Tabulæ.

Gerom. Cavezza Serro

ERRATA.		CORRIGE.
3.	eſt	vt
5.	meth.	meta
9.	informans	informans
15.	natura	naturæ
28.	vt	&
33.	verſum	verum
37.	rationis	rationes
41.	reſponſio	reſpondeo
48.	notum	motum
56.	potuiſſe	poſuiſſe
53.	non aſſignabimus	aſſignabimus
82.	aſq;	abſq;
91.	lect.	ſect.
98.	quelibet	quælibet
103.	nobilior	nobilius
108.	intenlligetiam	Intelligentiam
113.	hi motus	hic motus
118.	3. contra	2. contra
123.	n. 10.	cap. 10.
128.	Ricardus	Richardus
129.	ad ſecundam	ad ſecundum
133.	Themiſt.	& Themiſt.
135.	elata	relata
143.	proemiali	proœmiali & ſic ſemper
144.	q. vnic.	q. 1.
145.	vtrimque	vtrunque
163.	&	eſt
182.	per totam	per totum
183.	q. vnic.	qu. 1.
180.	ſit	ſint.

1635. à 5. Giugno.

Gli Eccellentiſs. Sig. Refformatori dello Studio di Padoua veduta la fede del P. Inquiſitore di Padoua, & & atteſtato di Monſig. Gaſparo Lonigo del reſtante del libro intitolato Diſp. phyſica Thomæ Gilioli foglio ſcritto, non vi è coſa alcuna contra la Santa Fede Catholica Prencipi, e buoni coſtumi, concedono licẽza della ſtampa, douendoſi nel reſto quanto è diſpoſto dalle leggi in tal materia.

VICENZO CAPELLO PROC. REFF.
ZVANNE NANI PROC. REFF.
ANGELO CONTAR. CAV. REFF.

Geron. Cauazza Secr.

morì Agosto nel fine. anno 1636 Perugia

